DE TESTA

MENTO SEV FOEDERE
Dei unico & æterno
Heinrychi Bullin
geri breuis
EXPOSITIO.

IESVS

HIC est filius meus dilectus in quo placata est anima mea, ipsum audite.

Matthæi 17.

TIGVRI, IN AEDIBVS CHRISTOPH. FROSCH. MENSE Septemb. An. M. D. XXXIIII.

Evang.theolog.Landesseminar
Herborn (Nassau)

DE TESTAMENTO

SEV FOEDERE DEI VNICO & æterno Heinrychi Bullingeri breuis expoſitio.

Icturus breui compẽdio de Teſtamento ſeu fœdere Dei unico & æterno, in q̃ explanando cum diuino ſpiritu inſpirati prophetæ, tum ab ipſo Dei filio inſtituti apoſtoli iuſtos etiam libros ædidere, in primis ſpiritum tuum imploro Chriſte Ieſu, quo imbutus clare breuiter ſobrie & ſecundum analogiam fidei de re ardua neceſſaria pariter & utili diſſerere poſsim.

Primum autem uidetur certa quædã huius nominis ratio con-

ſtituenda, quod uarius in ſacris Teſtamenti ſit uſus, ut toti diſputationi accedat & lux illuſtrior & certitudo maior.

Nomencla tura Teſtamenti.

Vocula ergo ברית quam LXX. conſtanter uerterunt διαθήκη, Latini uero Teſtamentũ, aliquoties ipſam ſignificat hęreditatem quæ teſtamẽto obuenit. Nã διατίθεμαι teſtari eſt, & ὁ διαθήκας ποιῶ teſtamento aliquid hæredibus mãdo. Et Latinis Teſtamentũ condere eſt ſupremam uoluntatem teſtari. Teſtamentum enim dictũ uolunt quaſi uoluntatis noſtræ teſtimonium. Vlpianus iurecõſultus iuſtam uoluntatis noſtræ ſententiam dixit, quam quis poſt mortẽ ſuã fieri uelit. At Gellius & poſt hunc Lauren. Valla iuriſperitorum etymologiam improbantes ne-

negant Teſtamentū uerbum eſſe duplex à mentis uidelicet conteſtatione compoſitū, ſed ſimplex eſſe contendunt à conteſtatione productum quemadmodū & ſacellum, quod non ſit ex ſacro & cella compoſitum, ſed ex ſacro diminutū. Porrò à teſtor quod eſt teſtamentum condo, fit teſtator is qui teſtamentum condit. Atque hac ſignificatione uſus eſt hac uoce Chriſtus apud Matthæum in XXVI. cap. & Paulus in epiſt. ad Galatas III. cap. & ad Heb. IX. Multus quoque eius uſus eſt apud iuriſperitos. Rurſus διατίθεμαι ἀντι τοῦ συντίθεμαι eſt paciſcor & ſtipulo: unde διαθήκη numero ſingulari pactum & conuentum & pollicitationē, hoc eſt ἐπαγγελία, ſignificat. Et apud Latinos à teſte

fit uerbum teſtor quod proprie eſt teſtimoniū dico & iureiurando affirmo: unde Teſtamentum in ſacris libris aliquoties ponitur pro promiſsione, nec quauis, ſed iureiurãdo firmata: ſic Zacharias
Lucæ 1. apud Lucam, Vt memor eſſet, inquit, teſtamẽti ſui ſancti, Iuſiurandum quod iurauit patribus daturū ſe nobis.
Act. 3. Et Petrus in Actis, Vos eſtis filij prophetarū ac teſtamenti quod teſtatus eſt Deus erga patres noſtros. Item διαθήκη uel διαθῆκαι numero plurali pactum quoq; ac fœdus ſignificat, cui maxime reſpõdet Hebræorū ברית quod à ברת hoc eſt pepigit aut fœdus inijt deriuat: qua ſignificatione uſurpauit Moſes in cap. XV. & XVII. Sic & nos uſurpabimus in expoſitione præſenti.

Fœs-

Fœdus autẽ Latinorum grammatici ex eo dictum putant quod in fœdere feriendo porca fœde hoc est crudeliter feriretur. Proprie uero fœdus inter hostes fit dum à bello discedítur: ponitur tamen pro amicitia & cõiunctione, sed quæ solenniter & certis cũ ceremoníjs tũ conditionib. coíjt. Nam in fœderibus certæ priscis erant ceremoniæ, cõditiones præscriptionés ue certæ, aut si mauis appellare capita, quibus scilicet cõditionibus coëat fœdus, quandiu uinciat. Accedit fœcialis qui cõceptis uerbis & ceremoníjs pactum firmat: post quæ protinus scribũtur & tabulæ, rationem totius fœderis scripto comprehendentes transmittentesq; ad posteros. Quin & in testamẽtis haud

Fœderis ratio & modus.

diſsimilis eſt ratio, ſiquidem primo ſcribunt hæredes, deinde deſcribitur hæreditas, item qui hæreditate poſsint excidere, quin & tabulis ne qua fraus fiat committuntur & obſignãtur omnia. Interim uero dum mors teſtatoris non intercedit teſtamentum non ualet. Sed quorſum hæc? Quod ipſe Deus qui humana appellatione myſterium hoc unitatis ſocietatisq; diuinæ nuncupare dignatus eſt, idem & humanũ morem propter ingenij noſtri imbecillitatem in feriendo fœdere uel teſtamenti inſtitutione ſequutus eſt. Vnde cõmodiſsime uidebar facturus ſi hoc ordine perq; fœderis conditiones incedens de teſtamẽto Dei unico & æterno diſſererem.

Quod

Quod autem Deus hominum more fœdus nobiſcum pepigerit teſtabuntur ſequentia Moſis uerba, quæ XVII. Gen. cap. in hanc leguntur ſententiam, Poſtquam uero nonaginta & nouem annorum eſſe cœperat Abram, apparuit ei dominus, dixitq; ad eum: Ego Deus omnipotens ſiue omniſufficiẽtia. Ambula coram me & eſto integer. Ponamq; fœdus meũ inter me & te & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Daboq; tibi & ſemini tuo poſt te omnem terram Chanaan in poſſeſsionem æternam, eroq; Deus eorum. Et tu quidem pactũ meũ cuſtodies, tu & ſemen tuum in generationibus ſuis. Hoc eſt pactũ *Inſtrumen tũ fœderis*

meum inter me & uos & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex uobis omne maſculinum. Maſculus autem cuius caro præputij circũciſa non fuerit delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactũ meum irritũ fecit. Hæc ſunt uerba fœderis, non uerbotim appenſa ſed ſummatim collecta cõprehenſaq; quæ ſi perpẽdas exactius uidebis Deum omni modo morem retuliſſe humanũ. Primum enim exponitur qui cõuenerint, Deus uidelicet & ſemẽ Abrahæ. Deinde quibus cõditionibus conuenerint, utique his, quod Deus uelit eſſe ſeminis Abrahæ Deus, & quod ſemen Abrahæ integre corã Deo debeat ambulare. Item quod fœdus inter ipſos feriatur perpetuũ. Iam & ceremonia quadam

dam ſanguinea firmãtur omnia. Nam de tabulis nõ eſt quod moneam. Siquidem tabularum loco ſunt uerba Moſis, quæ iam nunc recenſuimus, aut ſi copioſiora malis, uniuerſa ſcriptura canonica. Nihil igitur nunc reſtat, quàm ut de ſingulis ſigillatim dicam.

Deus iniit fœdus cũ ſemine Abraham.

Eſt autem ineffabilis miſericordiæ & gratiæ diuinæ argumentũ quod ipſum numen, ipſe inquam Deus æternus, ipſum fœdus primus offert, nullis ad hoc hominũ meritis adactus, ſed mera & natiua bonitate impulſus. Nec ſcio an humanum ingenium hoc myſterij uel plene concipere, uel dignis laudib. poſsit uehere. Quid enim in orbe maius factũ aut auditum eſt unquam, quàm quod æterna illa uis & maieſtas, immor

talis inquam ille omniscius & omnipotẽs Deus, conditor uniuersi, in quo omnia subsistunt, à quo omnia sunt, & per quem conseruantur omnia, fœdere se miseris & peccato corruptis iunxit mortalibus? Hæc nimirum religionis nostræ origo & illud caput primarium est, sola Dei bonitate & misericordia nos saluari. Hoc nimirum illud est quod propheta Domini in hymno sacro, celebri præconio toti commẽdauit orbi,
Psal. 102 canens, Pius & plenus gratia dominus, lentus ira, & magnus misericordia. Non in æternum contendit, neque in æternum seruat odium. Non facit nobis secundũ peccata nostra, & iuxta scelera nostra nõ retribuit nobis. Quoniã secundum altitudinem cœli erga terram

terram prẽualet miſericordia eius erga timentes eum. Secundũ longitudinem orientis ab occidente longe facit à nobis tranſgreſsiones noſtras. Sicut miſeretur pater filiorum, ita miſereẽt dominus eorum qui ſe timent. Ipſe enim nouit quale ſimus figmentum, & q̃d è puluere ſumus &c. Sic inquam diuinæ miſericordiæ bonitatiq̃ debemus quicquid ſumus & quicquid conditarum rerũ in uſus & delectationem noſtri creatũ eſt. Deus enim omnia propter hominem cõdidit. Imò & longe maiora miſericordiæ ſuæ argumẽta in ipſo exhibuit homine. Perfidum Gen. 3
enim collapſumq̃ erexit ꝓtinus & bene ſperare iuſsit: cumq̃ tota Adæ ꝓgenies ac poſteritas commeruiſſet flagitijs nephandis, ꝓdi

funditus, iuſtitiam quidē ſuam di
Gen. 8 luuio terræ infuſo exercuit, at miſericordiā Noë & filijs abundantiſsime exhibuit. Quid quod eandem nūc fœdere ſempiterno cum Abraham & poſteritate eius pacto ob oculos omniū mortalium ſtatuit clariſsimē? ut nūc de Deo & bonitate eius hoc dicere poſſum, quod de Carthagine dixit Saluſtius, Satius eſſe ſilere quàm pauca dicere. Atqui hiſce omnibus hoc dictū uolo, Deum illum optimum maximū eſſe qui cum Abraham & ſemine eius pepigerit fœdus: nunc de ſemine Abrahæ dicemus.

Qui ſint ſemen Abrahæ. Atq; hic quidē facile quis impegerit niſi regia inceſſerit uia. Qui enim conditiones duntaxat fœderis expendunt, gratiam uero & pro-

promiſsionem Dei negligũt, infantes fœdere excludunt: eò uidelicet q̃d pueri fœderis capita non modo non obſeruent, ſed ne intelligant quidem. At qui fœderis tantum ſacramentũ ceremoniam ſiue ſignũ ſpectant, eos accenſent fœderi, qui reuera excluſi ſunt. Cæterum ſi ſingulis tribuas ſingula habeasq̃ non conditionum fœderis modo, ſed & ꝓmiſsionis ſiue miſericordiæ Dei, ætatis ac rationis reſpectum, deprehendes credentes ex Iudæis & Gentibus eſſe illud ſemẽ Abrahæ cum quo fœdus iniit Dominus: interim uero ſobolẽ, hoc eſt infantes iſtorum fœdere nequaquam excludi: excludi autẽ ubi accedẽte rationis uſu fœderis cõditiones negligũt. Nõ ſecus atq̃ uidemus liberos pa

rentũ eſſe liberos imò & hæredes tametſi per primos ætatis annos neſciant ſe eſſe parentum uel liberos uel hæredes. Abdicãtur autẽ poſtquã ad rationis uſum perue nientes parentum iuſſa negligũt. Tum enim parens illos nõ filios aut hæredes, ſed profligatos appellitat nebulones. Falluntur qui ſe natiuitatis ſuæ prærogatiua nihilominus filios familias iactitãt. Nam nihil à ſeruo diſtat qui iura pietatis in parentes uiolauit, imò ſeruo hoc deterior eſt, quo ipſa etiam naturali lege parẽtibus maiora debebat. Hinc uero nobis illa apud prophetas & apoſtolos enata eſt diſputatio de ſemine Abrahæ, nempe quod non omnis qui natus ſit de Abrahã ſit ſemen Abrahæ, ſed qui promiſsionis ſit

filius

filius, hoc est fidelis, siue is Iudæus siue Gentilis sit. Iudæi enim iam grandes fœderis negligebãt conditiones, interim uero se nihilominus populum Dei esse gloriabantur, freti circũcisione & quod parente Abraham essent geniti. Id uero pernegat & impugnat nõ modo Christus cũ apostolis, sed uniuersum etiã prophetarum collegium. Quod propter eos dicimus qui in Nouo testamẽto primum spiritualis seminis Abrahæ mentionem fieri existimarunt. Conferatur uel unicũ Ieremiæ cap. IIII. quo differit propheta de circunci sione uera, cum II. cap. Pauli ad Romanos: conferantur inter se quæ Isaias, Ieremias, Ezechiel, & cæteri prophetæ scripserunt in generis Abrahæ fiduciam, cum ijs

Veteres quoq; spiritualis populus q habuit & promissiones spirituales

quæ Christus apud Ioannem, in VIII. Paulus quoque in Romanorum & Galatarum epistola disputauit, & liqdo apparebit eundem esse spiritū qui per prophetas et apostolos paria ante & post Christum natum de uero semine Abrahæ tradidit. Proinde quæ iam in sacris cōtra carnale semen pro spirituali semine dicta sunt, aduersus eos dicta sunt, qui iam adulti suæ natiuitati circunciſioniq;, aut si mauis carni & initiationi fidentes externisq; rebus gloriantes ueram animi pietatem negligebant. Interea uero nō excludunt liberos natos parentibus fidelibus q ex gratia & uocatione promittentis, Dei sunt. Nam ex gratia hoc loco promittit Deus & ait, Ero Deus tuus & seminis tui

Pueri fidelium semē Abrahæ.

tui poſt te. Et multo clarius, Hoc eſt pactum meũ inter me & uos, & ſemen tuum poſt te, Circunci detur ex uobis omne maſculinũ. Rurſus ne quis hoc ueteris teſta= menti hominibus non item noui dictum autumet Paulum audiat loquentẽ Galatis, Quotq̃t Chri= ſti ſunt ſemẽ Abrahæ ſunt. Item, Qui hæredes ſunt Abrahæ ſe= mẽ ſunt. Rurſus, Qui ſancti ſunt Abrahæ ſemen ſunt. His ſi adiun gas, Sed pueri Chriſti ſunt, hære des ſunt, ſancti ſunt, ſponte conſe quitur, ergo pueri ſemẽ Abrahæ & in fœdere ſunt. Huc enim per= tinent uerba Chriſti, Sinite par= uulos uenire ad me, talium enim eſt regnum cœlorũ. Et illud Pau li, Sanctificat uxor incredula per maritum fidelem. Alioqui filij ue

Galat. 3

Lucæ 18

1. Cor. 7

ſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt, certè ex gratia & miſericordia Domini. Verũ hic obiiciunt quidam: Ergo dum parens infidelis eſt, puer qui ab eo progignitur fœdere excluſus eſt. Et infidelem uocant, qui uita impuriore prophanat nomen domini quod aliàs ore confitetur. Cæterum hi non expendunt quod parens ſemel populo Dei inſcriptus eſt, & quod parentum culpa nõ redundat in filios: id quod Dominus apud Ezechielem in XVIII. cap. multis indicauit. Circunciſi ſunt filij Iſraël & populus Dei appellati tametſi prognati fuiſſent parentibus malis, quos ob murmur impium dominus proſtraue
Deut.1. rat in deſerto. Dixit enim, Paruuli ueſtri & filij qui hodie boni ac mali

mali ignorãt diſtantiã, ipſi ingre dientur, & ipſis dabo terram, & poſsidebunt eam. Item Apoſto= lus in I. ad Corint. cap. VII. ſa tis indicat, quàm propitius ſit do minus iſs liberis qui altero dunta xat parente nomen domini confi tente prognati ſunt. Neque ueriſi mile eſt Deum illum clementiſsi= mum liberis noſtris poſt miſſum ſaluatorem iniquiorem & incle= mentiorem factum, quàm fuerat erga iſtorum liberos, quos ante miſſum Chriſtum in peculiũ ele= gerat. At ſatis cõſtat liberos iſto= rum uel malis ortos parẽtibus fu iſſe circunciſos & intra populum Dei inſcriptos: nihil itaque dubi tamus de Chriſtianorum liberis, ſed hos libere in eccleſiã fidelium baptiſmate ſuſcipiẽdos cẽſemus.

Verũ de his aliàs. Ex ijs quæ hactenus diſputata ſunt clarere puto qui ſint ſemen Abrahæ, & q̃d illud hoc ipſum ſemen ſit cui debetur hæreditas.

Conditiones fœderis.

Nunc ad conditiones huius fœderis deſcẽdimus. Qui enim connectuntur fœderibus, certis connectuntur præſcriptionibus, ut quæque partium ſuum norit officium, nempe quid hæc præſtet alteri, & quid uiciſsim illa expectet ab altera. Deus itaque qui in hoc fœdere primas obtinet, primo ſuũ exponit depromitq; ingenium, qualem ſe nobis præſtare uelit: deinde ſubindicat quid uiciſsim à nobis exigat & quid nos facere conueniat. Itaque diſertis uerbis & magno cum põdere ſic pronũciat, Ego ſum Deus omniſuffi

Promiſſiones Dei, et qualem ſe nobis hoc fœdere oſtrat.

ſufficientia plenitudo & copiæ cornu, id eſt ea uis & illud bonũ, quod ſolũ homini ſatis eſſe queat, quod nullius indigũ rei omnibus omnia ſuppeditat, æternum per ſe uiuit mouetur & agit. Hæc enim omnia ſemel ſignificat inq; ſe comprehendit dictio Hebræa שדי Schadai, qua & unitatem & omnipotentiam bonitatem omnemq; uirtutem ſuam mira & fœlici breuitate adumbrauit Dominus. Cum autem nimia breuitas plerunque obſcuritatem inducat, mox explicandi gratia addit, Ponámque fœdus meum inter me & te & inter ſemen tuum poſt te, ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Non enim ſat eſt credidiſſe Deum eſſe aut etiam omniſufficientem eſſe, niſi præterea cre-

das illum Deum omnipotentem
Hebr.11 omnium rerũ conditorem tuum
esse Deum, imò remuneratorem
omnium quærentium se. Iam ut
liquido demõstraret quid sit esse
Deum omnisufficientem, Deum
fideliũ & remuneratorẽ timenti-
bus se, ceu uiuis exẽplis suppactis
addit, Daboq; tibi & semini tuo
post te omnem terram Chanaan
in possessionem æternam, eroq;
Promißiones ueteribus factas non oĩno carnales esse.
Deus eorum. Quæ tametsi de ter
ra Chanaan promissa sint adim-
plenda carnaliter: nam in rebus
quoque ad uitæ usum pertinen-
tibus bonitatem suam prodit do
minus, attamẽ multis nominibus
de æterna hæreditate, uita utique
cœlesti exponenda uidentʳ, in pri
mis uero quod in hæc uerba Pau
Hebr.11 lus ad Hebræos scribit, Iuxta fidẽ

mor

mortui sunt Abraham, Isaac, Iacob cum nō accepissent promissiones, & procul eas uidissent & credidissent salutassentq; & confessi fuissent se hospites atque aduenas esse in terra. Nam hæc qui dicunt declarant se patriam inquirere. Iam si illius memores fuisset unde fuerant profecti, habebant opportunitatem reuertēdi, nunc autem meliorem expetūt, hoc est cœlestem. Proinde Dominus terram quidē Chanaan nominauit, sed in hac cætera quoq; dona, spiritualia etiam, & beneficia maiora intellexit. Cæterum ijs declarare uoluit quodnam sit ingeniū suū, aut quid illud sit q̄d dixerat, Ero Deus tuus. Ad explicationem huius faciunt & promissiones reliquæ, Benedicam tibi & magnifi- Gen. 12

cabo nomen tuum erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicētibus tibi: atque in te benedicētur uniuersæ cognationes terræ. Item,

Gen.15 Noli timere Abraham, Ego protector tuus & merces tua magna nimis. Rursus, Multiplicabo te sicut astra cœli & faciam te patrem multarum gentium. Ex his enim omnibus æstimare possumus qd sit Deum illum summū, nostrum esse Deum, omnisufficientiā esse, nobis confœderatū esse, quodq; illius promissiones atque conditiones oblatæ nō carnales tantū sed & spirituales sunt. Ipse enim in primis dominus Iesus, expositore ad Galatas Apostolo, Abrahæ promissus est, in quo est plenitudo omnis, iustitia, sanctificatio,

Galat.3

1.Cor.1

tio, uita, redemptio & ſalus, de cu
ius plenitudine nos omnes acce= Ioan. 1
pimus, gratiã pro gratia, quia in Colloſ. 1
ipſo complacuit patri inhabitare
omnem plenitudinem, & per ſan
guinem crucis eius pacificare om=
nia quæ in cœlo & quæ in terra
ſunt. Atq; ille idẽ illa ipſa hæredi
tas eſt quæ hoc Dei unico & æter
no teſtamento credentibus lega=
ta eſt, cuius ſumma (ſi quis anace=
phaleoſim petat) hæc eſt, Deus
cœli ſumma illa & æterna uis ac
maieſtas, per quam ſunt omnia,
in quo cõſiſtunt & mouẽtur om=
nia, uult Abrahæ & ſeminis eius
eſſe Deus, hoc eſt, is offert ſe illis
fruendum, utpote ſufficiẽtia om=
nium eorum quæ homini neceſſe
ſunt, ut nũc opem & uires omnes
his polliceatur, ſe ſcilicet iſtorum

fore protectorem, ſacietatem, ſeruatorem, qui infirmum aliàs hominum genus animo & corpore ſit cõfirmaturus & per Chriſtum Dominum à peccatis & æterna morte liberaturus, donaturusq; uita ſempiterna. Hæc de officio & partib. in hoc fœdere, Dei, qui ſub inuolucro terræ Chanaan & ſeminis benedicti, ueluti copiæ cornu & omnes cœleſtes theſauros nobis apperuit, & ad fruendũ omne genus hominũ inuitauit: audiamus nunc quid ille uiciſsim à nobis exigat atq; expectet.

Iſaiæ 55

Officia hominis & quæ ipſum deceant.

Tu uero, ait, pactum meum cuſtodies, tu & ſemen tuum in generationibus ſuis. Ambula coram me & eſto integer. Hæc inquam noſtrarũ partium, hæc nobis obſeruãda ſunt. Tu, inquit, pactum meum

meum cuſtodies, id eſt, me pro omniſufficientia tua unũ ac ſolum in rebus omnibus habeto, uni mihi toto corde adhæreto. Sic enim & Moſes iſta in Deutero. expoſuit, dicens, Dominum Deum uestrum ſequimini, ipſum timete, & mandata illius cuſtodite & audite uocem eius, ipſi ſeruietis & ipſi adhærebitis. Quid quod protinus in ipſis pacti uerbis ſequitur? Ambula coram me: quibus uerbis ut nihil breuius ita nihil potuit dici euidentius, niſi quod Ambulare ad morem Hebraicũ pro conuerſari poſuit, qui idiotiſmus apud nos ſic exprimit, Schickt dich wol vnd rächt zewandlen vnd zelãbeñ. Coram me autem dixit pro eo quod eſt ad nutum & placitum meum. Senſus ergo eſt, Vitam tuam per Deut. 13

omnia ad uoluntatẽ meam inſtitue. Cæterũ quæ illa Dei uoluntas ſit, & quomodo coram Deo poſsimus ambulare, denuo clarioríb. exponit uerbis, his, Et eſto integer. Nam fidei conſtantia & ſynceritas, denique uitæ innocentia ac puritas, illa eſt integritas & uia recta qua corã Deo ambulant ſancti. Sic enim & Moſes in Deu
Deut. 10 tero. Et nunc Iſraël, ait, quid dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas dominũ Deum tuum, & ambules in uíjs eius, & diligas eũ, & ſeruias domino Deo tuo, in toto corde tuo, & ĩ tota anima tua?
Michæ 6 Et Micheas, Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum & quid dominus requirat à te: utique facere iudicium & diligere miſericordiã & ſollicite ambulare cũ deo tuo.

Sed

Sed quid multis opus? Noſtrarũ partiũ eſt uni Deo per fidem conſtanter adhærere, utpote uni & ſoli omnium bonorum authori, & ad placitum eius in innocentia uitæ ambulare. Nam qui hæc neglexerit, & alienos quæſierit deos, impie quoque uel turpiter uixerit, ac Deum ceremonijs rebús ue externis magis quàm uera ſanctimonia coluerit, hic fœdere excluſus exhæres & abdicatus erit.

In hiſce porrò breuiſsimis capitibus fœderis tota conſiſtit ſumma pietatis, imò nihil aliud omnium ætatum ſanctis per uniuerſam ſcripturam traditum cõſtat, quàm quod hiſce capitib. fœderis comprehenſum eſt, niſi quod ſucceſsione tẽporũ ſingula fuſius &

Oĩs ſcriptura ad fœdus ceu ſcopũ refertur.

clarius expoſita ſunt. Quæcunq; enim in ſcripturis ſanctis de unitate, potentia, maieſtate, bonitate & gloria Dei dicunt in hoc unico fœderis uerbo comprehẽſa ſunt, Ego dominus omniſufficientia. Quæcunque uero promiſsiones de beneficijs corporeis, de gloria, regno, victorijs, opibus & uitæ neceſſarijs conſcripta ſunt, unico huic fœderis includuntur uerbo, Dabo tibi ſeminiq; tuo terrã Chanaan, eroq; Deus eorũ. Item quæ poſt aliquot tempora de Chriſto domino tã in figura quam in ueritate copioſius ſunt tradita, quæ de iuſtitia eius, de ſanctificatione & redemptione fideliũ, de hoſtia, ſacerdotio & ſatisfactione Chriſti, de regno & uita æterna, item de uocatione omnium gentium,

de

de benedictione ſpirituali, de abrogatione legis, de gloria eccleſiæ collectæ ex Gētibus & Iudæis, in hac unica promiſsione prænunciata ſunt. Et benedicentur in te omnes gētes, Et tu eris pater multarum gentiū: unde nomē tuum nō Abram amplius, ſed Abrahā uocabitur. Rurſus quæ de fide in Deum, de uanitate idolorum, de adorando uno Deo, deq; unius Dei inuocatione & cultu, de iuſtitia item uera, de iudicio, æquitate & charitate colenda, per leges uarias, per orationes prophetarum complurimas, perq; apoſtolorū epiſtolas, denique per euāgelicas hiſtorias ſunt ꝑdita, hiſce paucisſimis ſunt inuoluta, Tu aūt pactū meū cuſtodies, ambulabis coram me, & eris ꝑfectus ſiue integer.

Collatio totius ſcripturæ ad fœderis capita.

Lex.

Quod ſi libet confer hiſce fœderum capitibus legem prophetas & ipſas apoſtolorū literas & deprehēdes omnia iſtorum huc ceu ad ſcopum eſſe relata. Nam lex (ut de hac primū dicamus) etiam ipſo domino teſte partim amorē Dei, partim amorem proximi tradit. Hoc ipſum & fœderis capitibus traditur. Quin ipſe Decalogus conditionum fœderis ueluti paraphraſis quædā eſſe uidetur. Nam quod hic breuibus dicitur, Ego Dominus omniſufficientia, per decalogum copioſius exponitur, ad hūc ferme modum, Ego ſum dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti. Rurſus q̄d uerbis teſtamēti ſtrictiſsime pronunciatur, Tu pactū meum cuſtodies, ambulabis coram me, eriſq; inte-

integer, idem in decalogo per enu merationem quandam ſic expo= nitur, Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi ſcul= ptile, Non aſſumes nomen Dei tui in uanum, Sabbatum ſanctifi cabis, Honorabis parentes, Non occides, Nõ adulterabis, & ſi quæ ſunt alia huius generis quæ ue= ram integritatẽ deſcribunt inſtitu untq;. De ceremonijs paulò poſt dicemus, ubi diſputabimus de ra tione ueteris & noui teſtamenti: Iudicialia ſiue Ciuilia quæ præci= piunt de conſeruãda pace & tran qllitate publica, de puniẽdis ſon= tibus, de bello inferẽdo & hoſti= bus propulſandis, de defenſione libertatis, oppreſſorum, uiduarũ, pupillorum, patriæq;, de iuſtitiæ & æquitatis legibus, de emptio=

Ciuilia ſi= ue Iudicia lia.

ne, mutuo, poſſeſsionibus, hæreditate, deq; aliis id genus titulis luridicis, an non & ipſa in ea fœderis conditione comprehenſa ſunt quæ integritatem præſcribit, iubetq; ut corã Deo ambulemus? Quod ſi cui hæc ſententia noſtra parum uidetur firma aut aperta, ipſa Abrahæ expendat facta qui
Rom. 4 ab Apoſtolo credentiũ pater appellatus certo in fœdere Dei fideliter perſtitit & coram ipſo integre ambulauit. Is autem, quod iudicialia res ciuiles aut externas attinet, certas rationes in puniendis ſontibus, in pangendis fœderibus, in inferendo bello, in poſſeſsionibus & pace publica cõſeruanda, uidetur ſequutus, necalias quàm quas dictabat animi integritas, fidei ſynceritas, amorq; recti

ctiac,pximi,imò quas ipſe longa poſt ſæcula Moſes(quantum atti net ipſam rei ſubſtãtiã ac ſummã) dictante Deo tradidit populo lu daico ſeruandas. Sunt enim illa quoque pietatis officia, uel ſanctiſsimis eccleſijs neceſſaria,adeo ut ſine ijs commode eſſe nõ poſſint, neque ijs citra periculum un quam caruerint. Cũ quod iuxta uerbum domini zizania etiam in agro dominico ſemper fuerit nec unquã defutura ſit. Quãdo enim Dominus zizania tum maxime eradicari noluerit cum eorũ excidium uergit etiã in perniciem tritici, hoc eſt,bonorũ ac ſanctæ eccleſiæ. Dixit enim,Sinite creſcere utraqꝫ,ne dum colligitis zizania eradicetis ſimul cum illis & triticum:quis dubitet eadem illa iure *Matth.13*

quoque posse amputari falce iu-
stitiæ, ubi nimia & præmatura eo
rum uis segesq; tẽderit in subuer-
sionem ecclesiæ. Tum quod san
cti qui non modo spiritu sed cor
pore quoque constant, & quoad
in hisce terris agunt non omnino
hominem exuunt ac prorsus uer
tuntur in spiritum, sed & rebus
externis ad cõuersationem scilicet
& usum uitæ pertinentib. sua etiã
iura persoluere coguntur, & idcir
co magistratus legumq; ciuilium
opa multis indigent nominibus.
Quo magis mirandum est quæ il
los agat dementia, qui magistra-
tum ecclesia Dei excludunt, quasi
opera eius illa non indigeat, aut
functiones eius sint eiusmodi, ut
inter sancta & spiritualia populi
Dei opera non possint aut debe-
ant

ant numerari: cum interim ea facta Abrahæ quę reuera iudicialia sunt, inter prima & præcellentissima opera laudẽtur à sancto Dei spiritu. Quin & idem ille in uera Christianorum Ecclesia, utpote pater omniũ credentium ab Apostolo appellatus,& ante legẽ amicus Dei uocatus, primas obtineat,qui nihilominus iudicialia exercuit. Verum à lege descẽdimus ad prophetas. Hi historiã aliàs con Prophetæ.
scribũt,aliàs Orationes, quas alij Declamationes, alij Sermones siue Homilias uocauere,cõtexũt. In historijs exempla quædã, imò nihil aliud quàm exempla huius fœderis, sicut & Moses in sua historia, proponũt, in qbus uidere est quomodo Deus pactis steterit, Deus seminis Abrahæ fuerit,

hoc eſt, omniſufficiẽtia defenſor & ſalus, ſummaq; felicitas: item quomõ illud in terram Chanaan induxerit, in hac prouexerit in regnum auguſtiſsimũ, rurſus quõ hoſtes ſeminis Abrahæ potenti manu attriuerit, ſuos uero clemẽter ſeruarit: denique quomodo ſancti coram illo ambularint in integritate, hoc eſt, quomodo uni per fidẽ uerã adhæſerint, unumq; coluerint ſanctimonia uitæ: præterea quomõ alij fœdus hoc neglexerint impietatisq; pœnas dederint. Proinde hiſtoriæ prophe ticæ huius fœderis tanquam uiua ſunt paradigmata. Iam in orationibus ſuis nihil aliud tractãt quã eadem illa capita fœderis, docentes quale ſit ingenium Dei, quàm bonus ille, quàm iuſtus, potens,

ue

uerax, clemens, miſericors, quomodo illi ſeruiendum in ueritate, fide, iuſtitia & charitate. Grauiſsime item accuſant ſcelera, in primis neglectum fœderis, idololatriam, deſertionem & perfidiam: deinde homicidia, oppreſsionem pauperum, uſuram, iniurias, ſtupra, luxum, adulteria, & reliqua huius generis flagitia: hortantur ad pœnitentiam, proponũt præmia & beneficia Dei, minantur item plagas & dira Dei ſupplicia. Rurſus de ſemine Abrahæ, de Chriſto & benedictione eius, de regno & uniuerſo myſterio eius, item de Gentiũ uocatione & gloria Eccleſiæ quàm dilucidiſsime differunt, adeò ut non raro non uaticiniũ, ſed hiſtoriã rerum præteritarum cõtexuiſſe uideãtur.

Christus obsignatio & uiua cõfirmatio fœderis.

De Christo domino quid dicã, qui nõ tantũ omni doctrina, sed ipsa admirabili illa incarnatione sua, fœdus illud Dei æternũ cum hominum genere pactum mirifico ac uiuo quodam modo exposuit atq; confirmauit. Dum enim uerus Deus uerum assumpsit hominem, iam non uerbis aut argumentis amplius egit, sed ipsa re toti orbi maximum illud attestatus est mysteriũ, quod scilicet Deus hominem in fœdus & cõsortium admisit, imò nexu indissolubili illum sibi summo amoris miraculo constrinxit, & quod Deus noster sit. Inde nimirum & Christo *Isaiæ 7* nomen datum apud Isaiam credimus. Dictus est enim Imanuel, quasi quis dicat, nobiscum Deus. Inde nimirum euãgelistæ tot tantisq;

tisq; exemplis maxima eaq; innu
mera Christi recensent miracula
ac beneficia. His enim declarauit
Deum esse beneficum, adeoq; ge
neris humani copiæ cornu patrẽ
ac Schadai. Quo & ipsa mors &
resurrectio Christi referũtur. Sũt
enim diuinæ misericordiæ iusti=
tiæ & uitæ restitutæ certissima te
stimonia, quibus se Deus ob ocu
los nostros statuit & totum sese
nobis impendit, benedicẽs nobis
& suscipiẽs nos per ipsum repur=
gatos in consortium & regnum
æternum. Quæ omnia Ioannes
euãgelista paucis sed cœlestibus
uerbis complexus dicit, In princi= Ioan. 1
pio erat uerbum, & uerbum caro
factum est, & habitauit in nobis,
& uidimus gloriam eius, gloriam
inquam quæ decebat unigenitũ

à patre, plenus gratia & ueritate. De plenitudine enim eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Quia lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Audis hic maximum illud mysterium Deum factum esse hominem, hoc est totũ
2.Cor.5 nostrum esse factum, habitasse in nobis. Audis potentiam & gloriam eius illuxisse orbi, nec alio consilio quàm ut pulcherrimis beneficijs alliceret nos in sui amorẽ, qui est plenitudo nostra Deus
Colloss.2 Schadai. Nam & Paulus ait, In Christo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & uos estis in illo completi absolutióꝫ. Ad hunc ergo modum ipse dominus Iesus fœderis alteram partem cõfirmauit expositóꝫ, ipsa re

indi

indicans Deum esse Deum Schadai seminis Abrahæ benedictionem ac fœlicitatem æternam. Alteram uero partẽ, quam diximus explanare qd uicissim ille exigat à nobis, & quales nos esse conueniat, idem dominus non minore diligẽtia euidẽtiaq; nobis in Christo statuit ob oculos. Præscripserat cõditionibus fœderis, Ambula coram me & esto integer. Veniens ergo in hunc mundũ Christus dominus, illamq; uiam Dei ingressus uiuũ nobis reliquit exemplum quod insequeremur. In Christi enim uita quam hoc diligentius descripserũt euangelistæ ceu in speculo quodam uidemus quid nobis insequendum fugiendúmue sit, qd Deo placeat, quid displiceat. Huc enim illæ domini

ſententiæ pertinere uidẽtur quæ
Ioan.8 apud Ioannem extant, Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulabit in tenebris, ſed habe-
Ioan.13 bit lumen uitæ. Item, Exemplum dedi uobis, ut quemadmodũ ego feci, ſic uos faciatis. Huc pertinet & illa ſententia quæ eſt in Cano
1.Ioan.2 nica Ioannis, Qui dicit ſe in Chriſto manere debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare. Hæc de uita & exemplo Chriſti uiuo. Iam quod doctrinam eius attinet non eſt quod multis agã. Quis enim neſcit hanc ita eſſe inſtitutam ut partim fidẽ in Deũ, partim amorem proximi tradat? Illa priorem fœderis rationẽ exponit, hæc poſteriorẽ. Fides enim credit Deum ſumme bonum iuſtum & benefi cum eſſe in hominem. Charitas uero

uero ipsius innocentiæ integritatisq; fons est.

Venimus ad apostolos Christi domini præcones, qui & ipsi in hoc toti sunt ut doceant quod sit ingenium Dei, quod solus ille bonus, iustus, saluãs & Schadai, q̃d is benedictũ semen Abrahæ promissum, nobis dederit, quod in hoc uno benedictio, salus, uita, & redẽptio sit, item qui testamẽti huius hæredes sint, q̃ posteri Abrahæ, ut uideantur ceu ex professo sibi huius fœderis sumpsisse expositionẽ. Quid q̃d apostolus Paulus nõ semel testatur se nullũ nouæ doctrinæ genus inuenisse, sed omnia Christianismi ex authoritate ueteris scripturæ tradere? In primo enim ad Rom. cap. dicit se Apostolum esse creatum separa- *Apostoli.*

tumq; ad prædicandũ Euangeliũ Dei, q̃d ante promiserit per prophetas suos in scripturis sanctis.

Act. 26 Item coram rege Agrippa & Festo Iudæorum præside causam suam agens Paulus palàm testatur nihil se aliud docuisse, quàm q̃d prophetæ prædixerint futurum fore. Proinde cum apostoli agnoscãt prophetas ut præceptores & fidei ueræ magistros, certoq; constet hos æterni illius ac unici testamenti esse interpretes, quis nõ uideat ad testamentum siue fœdus illud ceu scopum certissimum sacræ scripturæ omnia referri?

Vnicũ tantum testamentũ esse

Ex quibus iam consequit̃ quod ordine tertium est testamentum siue fœdus illud & unicum & perpetuum esse. Planis enim uerbis ipse dominus inter cætera pacti uer-

uerba, Ponamq̃, ait, fœdus meũ inter me & te, & inter ſemẽ tuum poſt te in generationib. ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Præterea multis hactenus approbauimus nihil apud poſteros de religione uera, quantũ ſcilicet ſubſtantiam attinet, dictum fuiſſe, quod non audierint priores. Abraham certè ante circunciſionem & legem, Rom. 4
ſine ceremonijs, fide duntaxat, iuſtificatus eſt, idem uidit diem do- Ioan. 8
mini Ieſu & gauiſus eſt: idẽ æternam expectauit patriam, terrena Hebr. 11
hac contempta, & idcirco æterna conſequutus eſt, non carnalia & terrena tantũ: idem ab apoſtolis Luc. 19
Chriſti imò ab ipſo Chriſto domino proponit nobis ubiq̃ imitandus in fide & innocentia. Cæ

Isaiæ 51 terum nulla similitudo aut æqua
Ioan.8 litas esse potest in rebus natura
Heb.11 disidētibus. Nisi ergo fides & in
nocentia Abrahæ uera & Chri-
stiana fuisset fides pietasq́, perpe
ram illum Christianis imitādum
proposuisset dominus. Vnicum
ergo testamentum est & una om
Psal.14. nium ante & post Christum san-
& 23 ctorum ecclesia, unica ad cœlos
uia, unica item constansq́ omniū
sanctorum religio. Atque huius
quidē rei complura adferrem te-
stimonia nisi ipsa res hactenus tra
ctata sua perspicuitate ac simpli-
citate uel repugnantem conuin-
ceret: sed si quis testimōniorum
ui magis afficit, audiat ipsum do-
minum apud Matthæum ita pro
Matth.8 nunciantem, Multitudo ab orien
te & occidēte uenient & accumbet
cum

cum Abraham, Isaac & Iacob, filij uero regni ejcientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentiũ. Item apud Ioannem clarius de Gentium ecclesia congreganda loquentẽ, Et alias oues habeo quæ nõ sunt ex hoc ouili, illas quoque me oportet adducere, & uocem meam audiẽt, & fiet unum ouile, & unus pastor. Huc quoque pertinent complures parabolæ apud euangelistas præclaræ, in primis ea quę est de nuptijs & illa quæ texitur de uinea. In his enim mutãtur inuitati & coloni, ijsdẽ nuptijs eademq; uinea semper permanente. Quibus nõ absimilis est parabola Apostoli de olea & ramis conscripta. Eadem enim semper manet olea, arbor eadem, sed defractis ramis natu-

Ioan. 10

Matth. 20. et 21. et 22

Rom. 11

ralibus inſerũtur ſurculi de oleaſtro. Idem diſertis uerbis ad Co-
1.Cor.10 rinthios, Nolim, inquit, uos ignorare fratres quod patres noſtri omnes eandem eſcam ſpiritualem edebant, & omnes eundẽ potum ſpiritualem bibebant. Bibebant enim de ſpirituali quæ illos comitabatur petra. Petra uero fuit Chriſtus. Quod ſi cui hæc ſententia noſtra eiuſq; ex hiſce Pauli locis confirmatio noua eſſe uideť, is
Auguſtin. ſciat D. Aur. Auguſt. ex hoc ipſo Pauli ad Corinthios loco idẽ collegiſſe quod nos. Verba eius extant Tracta. in Ioan. XLV. in hanc ferme ſententiam, Ante aduentũ domini noſtri Ieſu Chriſti quo humilis uenit in carne præceſſerũt iuſti ſic in eum credentes uenturũ, quomodo nos credimus

in

in eum qui uenit. Tempora uariata ſunt nõ fides. Diuerſis quidem temporibus, ſed utroſq; per unum fidei oſtium, hoc eſt per Chriſtũ uidemus ingreſſos. Nos credimus dominum noſtrum leſum Chriſtũ natũ ex uirgine, ueniſſe in carne, paſſum eſſe, reſurrexiſſe, aſcẽdiſſe. TOTVM HOC ſicut uerba auditis præteriti temporis impletum eſſe iam credimus, in eius ſunt fidei ſocietate nobiſcũ & illi patres qui crediderunt de uirgine naſciturum, paſſurum, reſurrecturum, in cœlos aſcenſurum. Illos enim oſtendit Apoſtolus, ubi ait, Habentes autem eundem ſpiritum fidei: ſicut ſcriptũ eſt, Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus propter quod & loquimur. Prophe-

ta dixit, Credidi propter quod locuutus ſum. Apoſtolus dicit, Et nos credimus propter quod & loquimur. Vt ſcias autem quod VNA SIT FIDES, audi dicentem, Habentes eundem ſpiritum fidei & nos credimus. Sic & alio loco, Nolo enī uos, inquit, ignorare fratres. Et quæ ſequuntur. Notus eſt enī locus Pauli I. Cor. X. Idem ille in Ioan. alibi ſcribens & de Eccleſia loquens, Quæ, ait, peperit Abel & Enoch & Noë & Abraham, ipſa peperit & Moſen & prophetas tempore poſteriores ante domini aduentū: & quæ iſtos ipſa & apoſtolos & martyres noſtros & oēs bonos Chriſtianos. Omnes enī peperit, qui diuerſis temporibus nati apparuerūt, ſed ſocietate unius populi con-

32. quæſt. 4. cap. Recurrat.

continentur, & eiuſdem ciuitatis ciues labores huius peregrinationis experti ſunt & quidã eorum nunc experiuntur & uſque in finem cæteri experient̃ &c. Ex his uero omnibus liquere puto unã eſſe duntaxat Eccleſiã, Teſtamentum unum ueterũ & noſtrum.

Cæterum cum multa inueniantur in ſacris argumẽta quæ prima ſtatim fronte Teſtamẽta duo, ſpiritus duos, & populos duos, longe lateq; inter ſe uideantur ſecernere, quale illud eſt quod apud Ieremiã legimus, Ecce dies uenient dicit dominus, & feriam cum domo Iſraël & Iuda teſtamẽtum nouum, nõ iuxta teſtamentũ quod pepigi cum patribus eorum &c. Item apud Ezechielem, Dabo uobis cor nouum & ſpiritũ nouum

Vnde nata nomina ueteris et noui teſtamenti.

Ieremiæ 31

Ezech. 36

ponam in medio ueſtri. Item ad Galat. IIII. Hæc ſunt duo teſta menta, conſequẽs eſt ut nũc ediſ- ſeram unde iſta enata ſint, quóue ſenſu dicãtur. Principio ergo cer tum eſt ueteris & noui teſtamẽti ſpiritus ac populi nomenclaturã non oriri ex ipſa fœderis ſubſtan tia, ſed aſcititijs quibuſdam & ac- cidẽtibus, quæ temporum inter- uallis aliud atque aliud pro diuer ſitate gentis Iudaicæ ſuadẽtibus, acceſſere, nõ ut perpetua & unice ad ſalutem neceſſaria, ſed ut mu- tabilia & pro tẽpore & pro per- ſonarum & cauſſarũ ratione ena ta, ſine quibus ipſum fœdus faci- le ſubſiſteret: cuius quidem gene ris ſunt Ceremonię, ipſum inquã ſacerdotiũ Aharonicum, lex item præſcribens ſacrificandi, purgan di,

Ceremo niæ.

di, feriandiq; modum, item ciborum delectũ, quale extrui debeat tabernaculum, & id genus innumera alia. Istis enim caruere uetes sancti, Enoch, Noë, Abrahã, Isaac, Iacob, Ioseph, qui tamẽ Deo per fidẽ impense placuerunt, atq; sine istis salutem cõsequuti sunt. Vnde & Paulus ad Galat. Abrahæ, ait, dictæ sunt promissiones & semini eius: non dicit & seminibus tanquam de multis, sed tanquam de uno, Et in semine tuo qui est Christus. Hoc autem dico testamẽtum ante comprobatum à Deo in Christum, lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, ut abroget promissionem. Proinde ueteres beneficio fœderis non legis aut ceremoniarum saluati sunt. Galat. 3

Nam quemadmodū Abraham ei
Geneſ.22 credidit, qui dixerat, In te benedi-
centur omnes gentes: ita patres
Abrahæ tempora præcedentes ei
Geneſ.3 crediderunt, qui dixerat, Semen
mulieris calcabit caput ſerpentis.
Ergon' inquis legem citra conſi-
lium rationemq; certam ſine uti-
Lex inſti litate inſtituit Deus? Abſit, ſed
tuta. dum ſeminis Abrahæ, hoc eſt lu-
dæorum animi in Aegypto diu-
tina cohabitatione fuiſſent corru
pti, ut nō modo religionē auitam
ipſumq; fœdus propemodū igno
rarent ſed indies magis magisq;
deficerent ad Aegyptiacam ido-
lolatriam omnemq; gentilium ſa
crorum rationem, tum placuit ſa-
pienti & clemēti domino fulcris
quibuſdam fœderi collabēti ſub-
uenire. Primum ergo ipſa priſci
fœderis

fœderis capita restituit, sed copio
sius exposuit, inq; tabulas lapi=
deas proprio digito inscripsit. In
his autẽ nulla adhuc ceremonia=
rum mẽtio. Sat enim præscriptũ
erat fidelibus. Verũ dum isti infi
deles & perfidi esse pergerẽt, inie
ctum est humeris miserorũ onus
ceremoniarũ, quo caruere prisci.
Atqui in hunc finẽ atque hoc con
silio iniectum ex caussa impellẽte
constat, ne alienis dijs instituerẽt
sacra: propria ergo instituit, eaq;
sibi placere pronũciauit, quæ re= Psal. 49
uera negligebat, ut uel ista ratio=
ne testamentum cõfirmaret, præ=
terea & Christi mysterium hisce
uelut typis inuolueret. Nec istud
quidem commẽtum nuper domi
nostræ natũ est, sed ex sacris eru=
tum oraculis uetustorumq; patrũ

fide decerptũ. Tertullianus enim II. aduerſus Martionem lib. ſacrificiorum quoq; onera, inquit, & operationũ & oblationum negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehẽdat quaſi deus ſibi talia proprie deſyderauerit qui tam manifeſte exclamat, Quò mihi multitudinem ſacrificiorum ueſtrorum? & quis requiſiuit iſta de manibus ueſtris? Sed illã Dei induſtriam ſentiat qua populum pronum in idololatriam & tranſgreſsionem eiuſmodi officijs religioni ſuę uoluit aſtringere quibus ſuperſtitio ſæculi agebatur, ut ab ea auocaret illos, ſibi iubens fieri quaſi deſyderanti, ne ſimulachris faciendo delinqueret. Sed & in ipſis cõmercijs uitæ & conuerſationis humanæ domi & foris & uſque curam

Iſaiæ 1

ua-

uaſculorũ omnifariam diſtinxit, ut iſtis legalibus diſciplinis occurrentibus ubique ne ullo momento uacarent à Dei reſpectu. Hæc Tertullianus. Iam ergo quod attinet Decalogũ imò & ciuilia nulla enata eſt teſtamẽto & populo Dei diuerſitas. Vbiq; enim amor Dei & proximi, fides & charitas obtinẽt imperium: ex hominum mentibus & teſtamẽti aſcititijs rebus oborta eſt diuerſitas, ut teſtamentum quod apud omnes pios unicum eſt, ob aſcititia quædam & homines ſuperſtitioſiores uetus & nouũ, carnale & ſpirituale cœperit dici. Et uetus quidem dicitur (ut relatiuorũ ratio poſcit) propter conſequens nouũ, quod quidẽ peccatorũ remiſsionẽ pollicetur, imò & per Chriſtũ præ-

ſtat, fidem quoque & charitatem docet: quibus ex rebus omnino non poteſt dici nouum, cum nihil noui tradat. Nam ea quæ iam recenſuimus ex ueteri traditione habet: proinde nouũ dicit ex eo quod omnes ceremoniæ à Chriſto, quem unice prædicat, impletæ ſint, quatenus typi & umbræ erant rerum æternarum, eatenus enim obſoleuere: quodq; uetus illa religio, quæ ante legẽ latã temporibus iſtis patriarcharũ aureis, uigebat, innouata, adeoq; p Chriſtum iã plenius & dilucidius ceu nouo lumine orbi illato reſtituta abſolutaq; etiã apud nouum populum, Gentes uidelicet, per totũ mundũ floreat. Sic enim & Paulus de hac re diſſeruit cum ad Hebræ. VIII. tum ad Ephe. II. Pa

1. Ioan. 2

ri

ri modo ac ratione ſcriptura uo=
cauit Carnalẽ populum, nõ eum
quidẽ qui in teſtamento Dei per
ueram fidem perſtitit, ſed qui car
nalibus magis nitebatur quàm ſo
lidis & ſpiritualibus teſtamẽti ca
pitibus ſeu ꝓmiſsioni Dei. Teſtẽ
hic aduoco Paulũ, qui priuſquam
diceret, Nam hæc ſunt duo teſta= Galat. 4
menta, præmiſit, Dicite mihi qui
ſub lege uultis eſſe, legem ipſam
non auditis? Scriptum eſt enim
quod Abraham duos filios habe
bat, unũ ex ancilla & unũ ex libe=
ra. Inde enim colligimus carnalẽ
populum eum eſſe qui uult eſſe
ſub lege. Deinde nõ omne proti
nus ſemen Abrahæ ſub lege aut
carnale eſſe. Carnale enim dicitur
q̃d legalibus ſine ſciẽtia & ſpiritu
adhæret, perq̃ illa ſe ſaluari poſſe

confidit. Habent enim & ceremo nialia ſuũ ſpiritũ, quẽ multis Pau lus in epiſtola ad Hebræos enu- cleauit. At iſti ſpiritu & conſilio ceremoniarũ contempto aut non intellecto abutebantur lege. Ve- ri porrò Abrahæ filij liberi ſunt & promiſsionibus Dei nitũtur. Proinde habuit quoque uetuſtas Iſraëlem ſpiritualẽ. Perperã enim iudicant qui ex parte totum æſti- mant, ut ſolent qui non ſine con- tumelia ſanctorũ Dei omnes ad- uentum domini præcedentes pa- tres carnalis Iſraëlis nomine no- tarunt, non expendẽtes ſynekdo- cha uulgari ſcripturæ tropo hunc nodum eſſe rumpendum. Cæte- rum ne iſti clamitent Tropis ſibi illudi, tametſi noſtra ſuperiorib. ſatis approbauerimus, producã

tamen

tamen in iſtorū gratiam tria maximorū in religione uirorum teſtimonia, aſſerentiū Iſraëli fuiſſe populū ſpiritualem, imò & prophetas idem docuiſſe de legalib. q̄d apoſtoli tradiderunt. Primus ergo Ieremias in cap. VII. in hæc uerba ſcripſit, Hæc dicit dominus exercituum Deus Iſraël, Holocauſtomata ueſtra addite uictimis & ueſtras carnes edite. Quia non ſum locutus cum patrib. ueſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de uerbo holocauſtomatum & uictimarū, ſed hoc uerbū præcepi eis dicens, Audite uocem meā & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus, & ambulate in omni uia quam mandaui uobis ut bene ſit uobis. Ex his autē uerbis claret quæ fue

rit doctrina prophetarum de legalibus, item quæ sit summa omnium mandatorum Dei, ipsa inquam fœderis summa, obediẽtia siue ipsa fides, qua & sanctos probari constat nõ legalibus. Præcepit quidem illa dominus, sed longe alio consilio, nempe ut collabenti subueniret fœderi, utq; ab idololatria auocaret totosq; sibi agglutinaret fide, non ut illis cultores iustificaret, sed ut uenturam iustitiam Christũ illis adumbraret. Quod cum intelligere nollẽt, grauissime accusantur hoc loco à propheta. Spiritum ergo non carnem uel in Israëlitis probauit dominus, idcirco uel ante Christum natum, populum ex Israëlitis spiritualem habuit, quandoquidem carnalem adeò improbauit. Sanctissi-

ctiſsimus quoque martyr Chriſti Stephanus apud Lucã in Actis apoſtolorum cap. VII. infinitis propemodum ueterum exemplis comprobat quod fides in Deum & ante legem, & in lege, & poſt legem Deo placuerit, nõ ceremoniæ, & quod ſancti, hoc eſt patriarchæ & prophetæ omnes inquã iuſti ante natũ Chriſtum, Deum fide & uitæ puritate coluerint nõ rebus externis. En habes omnino ſpiritualem & ſpontaneũ populum. Quid quod & apoſtolus Paulus eodẽ propè modo idem aſſerit in XI. cap. ad Hebræos, exemplis patrum ab initio mundi ad ipſa penè tempora Chriſti reductis? Quæ cum ita habeant quis eſt qui non uideat ueteris & noui cum populi tum teſtamenti

nomina non posse ipsum testamentum ipsamq; Ecclesiam ueterum & nostrã scindere. Spiritus quoque idem est utrisque, sed respectu carnalium istorum transgressorumq; quos flagitia in Babylonem disturbarãt dixit se nouum daturum spiritum, quo nihilominus & abundantiam diuitiasq; charismatũ per Christum fidelibus impartiendas significauit. Verum de hac re in commẽtarijs nostris in epist. Petri nonnihil disputauimus. Hactenus eni unitatem testamẽti asserere causasq; cur nouum & uetus dici cœperit indicare uolui.

Quibus rebus præcellamus ueteres.

Iam ut nihil in hac re dissimulẽ & qua in re Christianorum ecclesia quæ post Christũ natum constituta est, præcellat, breuibus indicem,

dicem, principio ijs quidem qui ſub lege agebant hoc nomine fœliciores ſumus, quod omni ceremoniarũ onere leuati, antiquum & primarium inſtitutum, priſcorum uidelicet patrum, quod ſine ceremonijs fidei ac innocentiæ, id eſt fœderis capitibus nitebat, attigimus. Rurſus q̃d umbris per fulgorẽ Euãgelij diſpulſis & figuris impletis clara lætamur ueritate. Deinde uero q̃d omnib. patribus ante Chriſti aduentũ mortuis noſtram Eccleſiã ſuperiorẽ reddit illud eſt, quod nos Chriſtum aduenijſſe, ſpiritũ abundantiſsime contuliſſe, gloriã item ſuam nunc per totũ orbem propagaſſe omniaq; abſolutiſsime cõſumaſſe confitemur, quem illi ita uenturũ credebant & maximo expectabãt deſy

Luce 2 derio. Hoc nomine Simeon ille grandæuus se maxime fœlicẽ reputans clamat, Nunc dimittis seruum tuum domine secundũ uerbum tuum in pace. Quia uiderũt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationẽ gentium & gloriã plebis tuæ Israël.

Caput Matth. 5. Quod uero alĩ caput Matth. V. obĩciunt, non uident dominum Iesum illa sua eleganti & diuina contione nõ impugnare uel Mosen uel ꝓphetas, quasi diuersum uel senserint uel tradiderint à dogmate Christiano, sed errorẽ uulgi corrigere uerumq; legis ingenium tradere uoluit. Corruperat enim omnia & temporis iniuria, & phariſæorũ insciti atque auaritia. Vnde disertis uerbis priusquam

quam legis expoſitionem agrede retur proteſtans ait, Niſi abunda uerit iuſtitia ueſtra pluſquàm ſcri barum & phariſæorum, non po teritis ingredi regnum cœlorum. Proinde phariſæos non ipſum le gis aut prophetarũ ſpiritum im= pugnauit Chriſtus, qui paulò an te dixerat, Non ueni legem ſol= uere ſed adimplere. Docuit autẽ ea contione legem eſſe uolunta= tem Dei, quæ omnino ſancta, pu ra & ſpiritus quidam ſit mundiſ= ſimus, qui hominis quoque men tem affectũq; exigat, adeò ut uel cõcupiſcere prohibeat. Id cum ab homine, corruptiſsima ſcilicet car ne, non poſsit præſtari, quis non uidet huc totius contionis conſi= lium ſpectare, ut nos in noſtri in= ducat cognitionem, quæ efficiat

ut nobis prorsum abnegatis totos nos in misericordiã Dei conñciamus, interim uero omnia nostra cum cõsilia tum facta ad æternam summeq; puram uoluntatẽ, hoc est legem Dei nõ uulgariter, sed summo studio & q̃ exactissime exigamus? Id demũ est solli
Mich. 6 cite ambulare cum Deo sancto,
Leuit. 19 qui sanctus est & cupit ut etiam nos sancti simus.

Paulus in 2. ad Cor. 3. cap. Pari errore hallucinãtes non uident Paulum in II. ad Corinth. III. cap. cõtra pseudoapostolos disputare, legalia (ut ex reliqs colliquescit epistolis) ecclesiæ Christi obtrudentibus. Nam contra illorum superstitionem imò impietatẽ asserit Euangelñ gloriam, quæ legalibus illustrior sit. Neq; enim eo loci de uniuersa lege, sed

ea

ea duntaxat loquitur, quæ abole-
tur: interim nõ iubet omnia legis
& prophetarum reuocare ad lite
ram: ſed & ſpiritũ nõ quiduis, ut
illis mos eſt, appellitat, ſed ipſum Rom. 10
dominum leſum qui eſt perfectio
legis ad iuſtificationem omni cre
denti.

Porrò calumniam ſtruũt nobis obĳciẽtes hæreſim Hebionicam. De Hebionitis enim ad hunc mo dum ſcripſit Euſebius lib. Eccle. hiſt. III. cap. XXVII. Cuſto-diendam cenſent etiã legis obſer-uantiam, nec ſufficere (ſic inquam illi Euangelio miſcent legalia) ad ſalutem ſolam Chriſti exiſtimant fidem. Corporalẽ ergo legis ob-ſeruantiam cuſtodiunt. Apoſtoli autem epiſtolas omnes pariter re ſpuunt & ipſum apoſtatam legis

Hebionitæ commiſcẽt legẽ Euan gelio, quo modo?

appellant. Nec diuersa ab his referunt, Irenæus, Tertullianus & Augustinus. Quàm uero doctrina hæc nostra de Testamẽto Dei unico & æterno, deq; abrogatione legalium aliena sit ab istorum blasphemia nemo est qui iam nesciat.

Locus Deut. 5. cap. Sed quid dicemus ad uerba domini quæ legũtur in hanc sententiam apud Mosen in Deut. cap. V? Dominus Deus noster pepigit nobiscũ fœdus in Horeb: non cum patribus nostris inijt dominus pactum hoc, sed nobiscũ qui in præsentiarum sumus & uiuimus. Augustinus ergo lib. quæstion. super Deut. V. quæst. IX. synekdocha hũc locum exponit, nempe de ijs patribus intelligens quos plaga Dei in deserto absum-

psit.

pſit. Illi enim, ait, qui nõ ingredi-
untur in terrã promiſsionis non
pertinent ad hoc teſtamentũ, ſed
filij eorũ, illi inquam qui quam-
uis uiginti annorum & ſupra nõ
eſſent quando Deus in monte lo
quebatur ut numerari tunc poſ-
ſent, potuerunt tamen annorum
eſſe decem & nouem & infra uſ-
que ad puerilem ætatem, qua poſ
ſent illa quæ facta & dicta ſunt &
uidere & audire & memoria reti-
nere. At Ioãnes Oecolamp. com-
ment. ſuis in Ieremiam æditis ad
hunc penè modũ explicat, Apud
Deum unũ eſt fœdus illud æter-
num, quod pro diuerſitate tem-
porũ uarie diſponitur. Et in inte-
rioribus quoq; hominis ſemper
unum fuit & uſq; manebit, non
ſolum ut eſt in æterna prædeſti-

natione: audi tamen qualemcunque fœderū diuersitatem. Verbis pactus est cum Abraham dominus, nec aliud quàm obedientiam stipulatus est ab eo. Sub Mose autem multa prodigia & horrenda acceſſerunt, nō uni duci nota, ſed perſpicua omni multitudini. Deinde tot circunſtātijs uallatæ legibus, quæ oēs ad decē illa uerba tabulæ fœderis referunt &c.

Iam quod obijcitur de terra Chanaan, de bellis & uictorijs, de gloria & fœlicitate Iudaica, quæ minime cōgruant cum moribus Chriſtianis q̄s nihil manet quàm crux & exiliū, utpote de quibus ſcriptura dicit, Oēs qui uolūt pie uiuere in Chriſto perſecutionem patientur, facile diluitur. Nemo enim negat promiſsionem terræ

Promißio terræ Chanaan.

Cha

Chanaan loco fuisse astrictam: at uero nemo uicissim negare potest eandem aut certe similium rerum terrenarum promissionem omnibus Gentibus ex æquo esse factam. Ipse enim Abraham cui obtigit promissio Chananaicæ terræ ne pedis quidem uestigium (ut ait Stephanus) consequutus est, interim uero opes plurimas acquisiuit, quemadmodum posteri eius, Isaac, Iacob & Ioseph. Tametsi enim ne hi quidem terrã possiderẽt pollicitam, diuitijs tamen maxime fuerũt illustres. Id quod à domiuo in exemplũ omnibus Gentibus crediderim factũ, quo discerent sibi quoque defuturum nihil, si patrum more Deum timeant. Atque huius generis plures ꝓmissiones passim inuenias. Act. 7 Psalmo 36 Matth. 6 Act. 14. & 17 Hebr. 13

Quod autem fœlicitatem attinet patrum, certum est eos haud absoluta usos in hisce terris fortuna. Per crucem enim multasq; tribulationes ingressi sunt in regnum Dei. Quis enim nescit quantum tædij uorarit Abraham diutina illa sua (ut reliqua non commemorem) peregrinatione? Iacob patriarcha nulla prosperiore fortuna unq; fuit usus quam non grauissima eaq; uaria interturbarint discrimina. De Mose, Iosue, Samuele, Dauide, & reliquis uiris primarijs nō est quod multa commemorem. Quis enim unus sufficiat enumerādis istorum ærumnis calamitatib. laboribusq; propter dominum susceptis, cum ipsi etiam scriptores sacri ista uix multis absoluerint libris? Quid quod fidelis

Crux sanctorū, pax & uictoria.

fidelis populus Iudæ nõ minores perſecutiones ob pietatẽ ac fidem nonnunquam à ſuis illis perfidis regibus nonnunquam uero à tyrãnis exteris perpeſſus eſt, quàm ipſa Chriſti eccleſia à blaſphemis & impijs Cæſaribus? Nã ut hæc ſuos habet Nerones, Domitianos, Maxẽtios, Iulianos, Decios, Seueros, Valerianos & Diocletianos: ita uetus Eccleſia ſuos habuit Pharaones, Achab, Ioas, Manaſſe, Iehoiachim, Zedechias, Nabuchodonoſores & Antiochos. Imò ueteris eccleſiæ ſacerdotes ac prophetæ meruerũt Chriſtianorum martyrum fieri exempla. Sic enim loquutus eſt apud Matthæum dominus, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illorũ eſt regnum Matth. 5. & 23

cœlorũ. Beati eſtis cum inſectati fuerint uos homines propter me. Gaudete & exultate, quoniã mercés ueſtra multa eſt in cœlis. Sic enim perſequuti ſunt prophetas qui fuerũt ante uos. Præterea dubium non eſt multas ſanctorum myriades ſemper in Chriſto pie uixiſſe, qui tamen fidei nomine nunquam ſunt uel in exiliũ eiecti, uel capitis affecti ſupplicio. Paulus ergo iſtam ſententiã, Omnes qui uolunt pie uiuere in Chriſto perſecutionem patientur, non ut legem communem, ſed ut conſolationem afflictorum pronuncia uit. Varia quoque perſecutionis genera ſunt, ut non tantũ perſecutionem ſuſtineat qui uel in carcerem conĳcitur uel ab arbore ſuſpenditur, ſed is quoq; qui uarĳs exer

2. Timot. 3

Augu. lib. 2. cont. 2. epiſt. Gaudētij ca. 13

exercetur aduersitatibus tẽtatio-
nibusq́, id quod plerunque usu
uenire solet pĩs otio & securitate
aliàs utẽtibus. Nam & apostolus
Paulus sæpissime tutus à persecu
torum insidĩs ac furĩs, sed & fra
trum officĩs refocillatus, grauis-
simos animi æstus sensit. Chri-
stiani enim animus etiam alieno
afficitur malo. Vnde Apostolus Rom. 12
dixit, Quis infirmatur & ego nõ Hebr. 13
infirmor? Quis offenditur & ego 2. Cor. 11
non uror? Huc accedit quod san-
ctissimus uates Isaias in ĩs capiti- Isaiæ 49
bus quibus Ecclesiam ex toto ter Psal. 2.
rarum orbe colligendã describit, & 47
in quam & reges uenturos dicit,
non omnino & semper cædibus
exponendã docuit, ut quæ in hac
terra omni sit caritura pace, fœli-
citate & uictoria. Et D. Aur. Au

gũſtinus lib. de Ciuitate Dei V. capitibus poſtremis de quorundam Chriſtianorũ regũ uictorijs & felicitate mira eaq; lectu iucunda & utilia prodidit. Idem XXII. lib. contra Fauſtum Manicheum à LXXIIII. cap. uſque LXXX. multis diſputat de bello & iure belli, quæ longius proſequi non eſt noſtri inſtituti. His enim omnibus exponere uoluimus quę ſint cõditiones fœderis, quod fœdus illud unicum & æternum, & unde noui & ueteris nomenclaturam adeptũ ſit: ſubijciemus iam paucula de ceremonia & ſacramento fœderis.

De ſacramento fœderis circumciſione.

Qui feriebãt fœdera, ſumebant uel arietẽ uel buculã, uel caprã, ſecabantq; has in partes duas, deinde uero per partiũ tranſibant medium,

dium, obteſtantes ni pactis ſtent, ſic ſe deus diuidat perimatq; penitus. Indicia huius ritus uidere eſt Gen. XV. & Iere. XXXIIII. Ad hunc ergo modū alludens Deus ſanguine fœdus hoc dedicat, planisq; uerbis expoſitionem addit dicens, Et præpuciatus maſculus cuius caro prępucij circumciſa nō fuerit delebitur anima illa de populo ſuo. Id quod non modo de pellicula præciſa, ſed magis de toto fœdere intelligendū eſt, quod ſcilicet æterna ſit maledictiōe perimendus qui hoc fœdus neglexerit. Sequitur enim cauſſæ redditio talis, Quia pactum meum irritum fecit, aut diſſoluit. Diſſoluit autem qui per contemptum fœderis & inſtituti dei, ſacramentū dei ut inutile negligit, aut ut non

negligat ſuſcepto tamen fœderis ſymbolo ipſum fœdus perfidia et impuritate prodit. Vnde nos colligimus infantes qui naſcũtur ex fidelibus moriuntur autẽ priuſquam uel uiuere cœperint, uel ſacro fœderis ſigno intra populum Dei aſcribi potuerint, non poſſe huius loci præſidio damnari. De cõtemptoribus enim fœderis & de adultis loquitur. Id quod & uerba ipſa ſatis coarguunt quæ in hunc modum pronunciantur, Et præpuciatus maſculus in cuius carne præputium non fuerit circumciſum exterminabitur anima illa de populis ſuis, &c. Iſtos autem miſericordia & gratia dei credimus ſaluari, cui non præiudicant, qui illos ſecundum miniſterium eccleſię tantum iudicant.

Infantes ſine ſigno fœderis decedentes.

Habu

Habuit Circumciſio & myſteriũ quodpiã aliud. Nam Paulus, Teſtamentum, ait, in mortuis ratum eſt: quandoquidem nondum ualet cum uiuit teſtator. Deus autẽ teſtator eſt: deũ ergo mori oportuit. Sed cum is ſit immutabilis & immortalis, ſemen Abrahæ aſſumpſit, & in aſſumpta carne patitur ſanguinẽq; fundit, ac eo modo teſtamentum, ut ſic dicam, ratificat. Cæterum ut hoc myſteriũ patribus in figura traderet, ipſum ſemen Abrahæ uoluit circumcidi, ſignificans uerum Abrahæ ſemen Chriſtum Dominũ morte ſanguineq; ſuo fœdus illud confirmaturum. Huius rei gratia ipſe dominus Ieſus apud Matthæum, de ſacramento noui fœderis loquens, ait, Hic eſt ſanguis meus,

Heb. 9.

Matth. 26

qui est noui testamenti, qui prò multitudine effunditur in remissionem peccatorum. Hinc etiam sacramentum uetus mutari oportuit & institui nouũ. Postquam enim morte Christi omnia consummata & ipsum testamentum confirmatum esset, signa certè illa quæ futuram mortem præfigurabant oportuit mutari, imò & in locum eorũ substitui, quæ significatione absoluerẽt, aut perfectissimam iustificationem significarẽt. Id quod Baptismi & Eucharistię tribuimus mysterio. Illa enim institutore Deo noui testamẽti populo symbola cœperunt esse fœderis & gratiæ diuinę iã per Christum confirmatę. Pręterea significabat circumcisio cordis præputium esse resecandum ac deo seruien

Deut. 10. Iere. 4.

endum in obedientia fidei. Quibus ergo dabatur Circumcisio ijs primo per ministeriū institutūq; dei offerebatur gratia & fœdus dei, qui non dedignatur etiã paruulorum esse Deus, qui item prior ex mera gratia sese nobis obtulit & dixit, Ero Deus uester. Deinde eadẽ circumcisione obstringebat sibi Deus deuotos, iubens ut ipsi hæreant fide & innocẽtia. Ex quibus patet etiã sacramento fœderis totum contineri fœdus: quemadmodū & sacramentis nostris Baptismo & Eucharistia cõtinetur tota innouati fœderis ratio. Verū de his ad plenū in præsentiarū differe longius ab instituto abstraheret. Satis fuerit iam didicisse Deū in instituendo fœderis sacramẽto cõsulere uoluisse

rebus mortalium, qui ut corpore quoque, non anima tantum, constant, ita rebus & signis uisibilibus non raro in inuisibilium consideratione inducuntur. Dedit ergo deus sacramenta quæ prisci ea de caussa uocarunt inuisibilis gratiæ signa uisibilia. Dedit autẽ ueteribus Circumcisionẽ & Pęsa, nobis aũt q̃ post Christũ passum eius populus sumus Baptismum & Eucharistiam. Cæterum quæ in his uisibilia aut inuisibilia sint, quæ uis & efficacia, alibi traditũ est, nũc dicemus de tabulis.

Tabulæ testamenti conscribuntur.

Conscribunt aũt, qđ ultimũ in testamẽtis ac fœderib. est, litteræ aut si mauis tabulæ, rationem omnem ac testimonium rei transactæ comprehendentes transmittentesq̃ ad posteros. At hæ etiã

fœ

fœderis ſiue Teſtamenti nomina ſortiuntur. Vocamus enim tabulas de teſtamento ſeu fœdere conſcriptas ipſum uel fœdus uel teſtamentū, cum reuera teſtamentum uel fœdus non ſint, ſed rerū geſtarū & conditionū expoſitio duntaxat ac teſtimonium. Quanquam uero Dominus priſcis illis patribus nullas conſcribi curarit tabulas. Nã illi fœdus digito dei cordibus inſcriptum gerebãt, poſteris tamen quod ueram religionem à patribus ceu per manus acceptam propemodum expectoraſſent totam, lapideis inſculptũ tabulis per Moſen dedit, quas & fœderis tabulas & Teſtamentũ appellauit, nimirum eo conſilio & ea ratione quàm iam iam expoſuimus. Præterea ne quid deſide-

Vetuſtas æreis inſcribebat tabulis quæ diuturna per petuaq; uolebat.

rari posset à quoquam ipsum im
pulit Mosen, deinde prophetas,
mox & Apostolos Christi domi
ni, integros & iustos super hac re
scribere libros, q̃ ex ipsa re quam
tractant Veteris & Noui testa-
menti titulum apud omnes & o-
mnibus sæculis meruerũt. Nimi-
rum quod illi fusissime traderent,
quomodo fœdus illud cũ Abra-
ham initum, ueteri populo fuerit
præstitum, & quomodo illum
per uarias rationes figuras ac ui-
as in religione ad uitã sub spe uen
turi Christi duxerit. Hi uero do-
ceãt quomodo ipsum fœdus per
Christum innouatũ nouoq̃ mo-
do dedicatum, quomodo omnia
typica per hunc sint impleta, &
nouus populus multitudo scili-
cet Gentium in unitatem fidei uo

cata

cata atq; in religione uera inſtitu
ta, & in uitam æternam per Chri
ſtum inducta ſit. Atque hi ſunt li
bri iſti ueritatis ac iuſtitię ad quo
rum præſcriptum omnes omniũ
ſæculorũ docti & ſancti uiri per=
petuo uitam fidemq; cultorũ ueri
dei uere inſtitui poſſe crediderũt.
Iſaias enim clamat, Si dixerint uo Iſaiæ 8.
bis, conſulite phytones, diuinos,
ſortilegos & incantatores, Nón=
ne quæq; gens ſuos Deos conſu=
lit tam de uiuis quã mortuis? Ad
legem ergo & ad teſtimoniũ ma=
gis accelerate. Imò Chriſtus do= Luce 16.
minus, Habent, ait, Moſen et pro
phetas, audiãt illos: & ſi hos non
audiunt, neq; ſi quis ex mortuis
reſurrexerit credent. Præterea ſi
lis aliqua oriat de hæreditate in=
ter hęredes, protinus tabulas con

fulunt illisq; ita fidem habent testantibus, ut omnia secundum tabularũ præscriptũ agant. Proinde si qua oriatur concertatio in religionis negotio de uero uel falso dei cultu tabulas consulamus fœderis utriusque testamenti libros, illis credamus, secundũ hos omnia instituamus. In his enim omnem pietatem & iustitiã absolute comprehensam esse abunde testantur duo maxima religionis nostræ lumina, Dauid Psalm. XVIII. & Paul. II. Timoth. III.

Epilogus, in quo de antiquitate religionis Christianæ.

Ista sunt, Lectores candidissimi, quę de testamento seu fœdere dei unico & æterno, nempe q̃ in hoc conuenerint, quibus conditionibus, quouisq;, quóue sacramẽto, & quibus mandatum sit tabulis, pro gratia mihi à Dño collata, uobiscum

biſcum cõmunicare uolui. Partim ut hac re fratribus toties nobiſcũ expoſtulantibus magnaq; improbitate hanc expoſitionem poſcentibus inſeruirem. Partim uero ut Scripturarum & religionis noſtræ, quæ hodie apud multos male audit, quaſi ſit hæretica, claritatem ſimplicitatem & uetuſtatem indicarem obiter. Vetuſtiſſima quidem eſt Gentilis religio idololatria ſiue ſimulachrorũ cultus, et uetuſtior quidem quàm ſupputẽt magni aliâs nominis uiri. Sunt enim qui Iouis temporibus, uel paulò ante templa & nouorũ deorum cultũ inſtituta credunt. Cæterum ueriſimilior uidetur eſſe ſententia Herodoti in II. lib. hiſtoriarum & Strabonis in XVII. Geograph. lib. Hi autem

Aegyptios asseruere primos fuis se & cultores, & authores deorũ, à quibus & cæteræ Gentes idolo latriam acceperint. Equidem dili genter tẽpora supputantibus per spicuum est Iouem aliquot sæcu lis Mose iuniorem esse. At Mo ses testatur non modo Iudaicam gentẽ idololatria in Aegypto im butã ad exemplũ Aegyptiorũ in deserto statuisse Deo simulachrũ Apis, sed & patriarcharũ tempo ribus uiguisse idololatrię studiũ. Iam et Iudaica religio uetusta est, eã intelligo quæ circumcisione et legalibus circũscribit, utpote quæ partim Abrahę partim Mosis cœ pit temporibus. Verũ istis longè uetustior est Christiana. Prius em iustificatus in sacris libris ꝓnun ciatur Abraham quàm circumci sus.

sus. Vetustiores hoc quoq; sunt Noë, Enoch, Seth, Abel, Adam, qui sine circumcisione per fidem Deo placuerunt. Piget aũt nunc Turcicam & Papisticam religionem inter antiquarum religionũ species recensere. Illa em̃ non multis ante sęculis anno fermè à Christo nato D C X X X. à corruptissimo simul ac impijssimo authore Mahometo exorta ueritatẽ blasphemauit. Hæc autẽ nihilo penẽ antiquior, Christi institutа, traditionem propheticam & apostolicam simplicitatẽ, puritatẽ, ueritatemq; obscurauit. Nihil hic loquor de ea fide quam duodecim complexam articulis ore nobiscũ confitent̃: de papisticis & dogmatis et ritibus loquor, quibus illi ut certissimis uetustissimis & infalli

bilibus nitunt: cuius generis sunt Missæ, Simulachra, Monachismus, & alia multa, quæ nesciuit Primitiua sanctaq; Dei ecclesia. Scholasticorum enim Theologorũ primipilus Albertus magnus Gregoriũ Ponti. Rom. eius nominis primum, qui uixit circa annum Dñi D C. Missæ ordinatorem uocat. Idem Gregorius testatur in epistola quadã ad Serenũ Massilieñ. episcopũ, uetustatem admisisse (suis utor uerbis) ut in uenerabilibus locis sanctorũ depingerentur ad institutionẽ rudium historiæ. Sed quàm ille uetustatẽ intellexerit nescio, hoc scio quod Lactantius ille Firmianus Magni Constantini σώφρονος di sertis uerbis dixit, Non est dubium, quin religio nulla sit, ubicun

que

que ſimulachrum eſt. Quibus haud abſimilis eſt ſancti Epiphanij Salaminæ Cypri antiſtitis ſententia qua interprete D. Hiero. palàm pronuntiauit, cõtra authoritatem ſcripturarũ & contra religionem noſtrã, in eccleſia Chriſti hominis poni imaginem. At D. Hierony. authorib. Eutropio & Proſpere Aquitanico exceſſit anno Dñi CCCCXXII. Quam ergo potuit Gregorius uetuſtatẽ pro pictura templorum producere? imò ut maxime producere potuerit, propheta tamen Dñi per ironiam de ſimulachris loquens, Illáne ait docerent te? Iã uero ipſe etiam Gregorius ſimulachrorum cultum in eadem illa epiſtola ſua impugnauit, quem tamen Pontificij non modo admiſerunt, ſed

Epiſtola ca extat tom. 3. fol. 73.

Abacuk. 2.

etiam præceperunt. Et Benedictus ille Cassinensis abbas quẽ omnium ora Monachorum patrẽ appellitant paulò ante Gregorij floruit tẽpora, annis forsan LX. si uera est supputatio Bedę de tẽporum ratione. Paulus em̃ et Antonius quorũ meminit Hierony. monachatui pontificio nihil patrocinantur. Iam uero si hæc tempora prisćis conferas, inuenies religionẽ Papisticã prorsus esse nouitiam, et prioribus uetustate nullatenus conferendã. Atqui cum isti hanc nihilominus omnibus alijs præferant & de uetustate & certitudine eius multa cõmententur, multo iustius nos de antiquitate fidei nostræ gloriamur, utpote quæ & Gentilitia & Iudaica antiquior, ab initio mundi ad

hanc

hanc uſque diem durauit, annos nimirum 6733. Computantur enim à Chriſto nato in hanc uſque diem anni M. D. XXXIIII. at ab exordio mundi ad natalem Domini 5199. Etenim probauimus fidē Abrahæ, Adæ & Chriſti fuiſſe eandē. Sed & Euſebius I. lib. eccle. hiſto. cap. I. idem nobiſcum aſſerit, cuius uerba nō pigebit aſcribere, nō tamen omnia. Locus em̄ prolixior eſt, ſed multis nominibus dignus q diligenter legatur. Omnes illi, ait, qui ab Abraham ſurſum uerſus uſq; ad primum hominē generationis ordine conſcribuntur, etiamſi non nomine, rebus tamē & religione Chriſtiani fuere. Cum enim nomen Chriſtiani hoc indicet quod Chriſto quis credens per eius do

Chriſtiana ſiue euangelica fides omniū uetuſtiſſima.

ctrinam fidem pietatẽ ac iuſtitiã teneat & ſtudijs diuinę adhæreat ſapientiæ, atq; omne quod ad uirtutem pertinet exequat, ſi inquã hæc ſunt quæ uocabulo nominis Chriſtiani indicantur & ueræ eũ religionis ſectatorem deſignant, hoc erãt etiã illi ſancti, de quibus ſupra diximus, uiri qđ Chriſtiani nunc eſſe cõfitentur. Neq; enim aut corporalis eis inerat circumciſio, aut obſeruatio ſabbati (ſicut ne nobis quidẽ) aut ulla de ciborum obſeruatione religio, uel cætera quæ poſterioribus per Moſen figuraliter magis & myſtice obſeruanda traduntur. Cum igitur abſq; his omnibus obſeruationibus fuerint religioſi illi, quorum ſupra meminimus uiri, ſequi ſint autẽ fidem eius quem nos

nunc

nunc ſequimur Chriſti, quem fre
quenter apparuiſſe eis & edo=
cuiſſe uel monuiſſe ea quæ ad fi=
dem & pietatem pertinent, in ſu=
perioribus approbauimus, quo=
modo dubitabit ab illis cœpiſſe,
& ab illis eſſe deductã huius gen
tis originem, qui & eundem Deũ
authorẽ & ducem uitæ ſequeban
tur & in ſimili religionis obſer=
uantia perſiſtebant? In tantũ deni
que hæc in illis præmiſſa & præ=
formata religio eſt, ut ne ipſo qui
dem nomine (quod certè ſolum
differentiam facere uidetur) ha=
beantur alieni, ſed & ipſos iam
tunc non ſolum Chriſtianos, ſed
& Chriſtos eſſe appellatos diui=
na teſtantur eloquia. Et poſt alia
quædam argumenta, infert, Non
igitur nouella neq; peregrina eſt

Christianorum religio uel nuper exorta, sed si fas est libere indicare quod uerum est, prima omniũ atq; ex ipsa simul mundi origine descendens, eodem Christo Deo doctore & institutore iam inde ab initio speciem formamq; suscipiens. Hactenus recensui uerba sancti Eusebij. Nunc ergo quem obsecro pigeret pœniterétue laboris uel difficilimi pro testamento dei suscepti, posteaquàm constat in hoc omnes sanctos dei ab ipsa mundi origine deũ coluisse, imò pro hoc ipso charas posuisse animas? Quẽ uero in medijs iam sudantem laboribus non animaret uehementissime quod æternus ille deus iureiurando se nobis æternum astrinxit, quod is fœdus illud æternũ omnibus ab initio

tio ſanctis ſanctiſsime ſeruauit. Sæpe em̃ in pericula cõiecti ſunt ſancti, ſæpe ipſa ruinam minitata eſt religio, ſæpius fuſa & ſepulta uidebatur, imò ipſe Deus frequentius ſuos putabatur deſeruiſſe: ſed mature ſatis exurgens fuſis & oppreſſis impijs uerã religionem aſſeruit ſemper. Idem immutabilis & æternus eſt. Idem ergo uel hodie non deerit ſuis illis ſibi fœdere æterno nexis, ut ut inſaniat mundus. Ipſi gloria.

PSAL. XXV.

Omnes uiæ domini ſunt gratia & fides his qui ſeruant teſtamentum & fœdus eius.

1534

DISPOSITIO ET PERIOCHE HISTORIAE EVANGELICAE PER IIII. Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostolorũ, Epistolarũ quoq; Pauli XIIII. & Canonicarũ VII. ex Commentarijs H. Bullingeri petita, & in formã enchiridij redacta: cuius consilium uersa pagina exponit.

IESVS est Christus, unicus inquam rex & pontifex ecclesiæ suæ, uera & perfecta salus omnium credentium.

TIGVRI EXCVDEBAT
Christophorus Froschouerus mense Ianuario,
M. D. LIII.

DISPOSITIO ET PERIOCHE HISTORIAE EVANGELICAE PER IIII. Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostolorũ, Epistolarũ quoq; Pauli XIIII. & Canonicarũ VII. ex Commentarijs H. Bullingeri petita, & in formã enchiridij redacta: cuius consilium uersa pagina exponit.

IESVS est Christus, unicus inquam rex & pontifex ecclesiæ suæ, uera & perfecta salus omnium credentium.

TIGVRI EXCVDEBAT
Christophorus Froschouerus mense Ianuario,
M. D. LIII.

PIO LECTORI S.

ENDAMVS tibi, pie Lector, in forma enchiridij Dispositionem uel ordinem atq; Periochen historiæ, primū quidē euangelicæ, deinde uero apostolicæ, adde & argumenta epistolarum omnium cum D. Pauli, tum aliorum S. apostolorū, qui epistolas ecclesiæ dei scriptas reliquerunt. Nullo autem alio consilio id facimus, quàm ut iuuemus sancta piorum studia. Sunt quibus per fortunæ tenuitatem non licet integros Bullingeri emere Commentarios. Sunt alij quibus per multa negotia eosdem integros legere nō uacat: his ergo & ordinem & Periochen omnium hoc enchiridio exhibere uoluimus. Sunt rursus alij qui & integros sibi comparare Cōmentarios & integros euoluerent legerentq;, si intelligere possent, quid in illis & contineretur & tractaretur: cernere ergo & hi in hoc libello ceu per transennam quid ex illis expectent Commentarijs. Omnia uero huc tendunt, ut aperte & plene intelligas, in quo sit sita hominum salus, quomodo illam consequamur, eaq; æternum fruamur, deniq; quomodo uocatione nostra digne uiuamus. Fruere ergo sanctis & salutaribus his laboribus. Viue & uale æternum in Christo Iesu domino nostro. Tiguri Mense Ianuario. Anno domini M. D. LIII.

DE EVANGELIO ET DIGNITATE EIVS.

EVANGELIVM uox peregrina & Græcanica eſt, ſed à Latinis & Germanis recepta, tãquam propria uſurpatur. Componitur autem ab εὖ, quod bonũ eſt, & ἀγγέλλω nuncio: unde Euangelium bonum nuncium eſt, ſiue bona nunciatio, qualis uidelicet afferri ſolet de parta uictoria & fuſis hoſtibus, de re qualibet fauſta & feliciter peracta: patet ergo uocabulum latiſſime, ſed & ueteres τὰ εὐαγγέλια per tropum ipſa uocarũt præmia, quæ lætum ferenti nuncium dabantur. Homerus enim ſic uſurpauit Odyſſeæ ξ. & Cicero ad Atticum. Iſocrates Euangelium poſuit pro ſacrificio, quod offerebatur pro rei feliciter geſtæ nuncio. A Matthæo autem & ab apoſtolis Chriſti Euangelium non uſurpatum eſt uel pro præmio uel pro ſacrificio, imò ne pro quouis quidem nuncio læto, ſed pro ſingulari illo cœleſtiq; nuncio, quo nobis diuina gratia cœlitus annunciatur in Chriſto, per quem & hoſtis noſter diabolus cum peccato ac morte ſuperatus, et pater cœleſtis mundo reconciliatus, omnia bona fidelibus in Chriſto præſtitit, ut Chriſtum in fide poſſidentes, remiſſionem peccatorum, ſalu-

Euãgelium quid.

tem,ipſam beatam uitam, & omnes cœleſtes theſauros poſsideant, ipſumq; Chriſtum in ſe regnantem & uiuentem habeant,& ipſi in eo uiuãt. Iſaias enim 52.cap. Extrica,inqt,te de uinculis colli tui captiua filia Zion. Quoniam ſic dicit dominus,Gratis uenundati eſtis, & ideo abſq; pecunia redimemini. O quàm ſpecioſi erunt ſuper montes pedes euangeliſtæ,annunciantis inquã pacem,euangelizantis bonum,nunciantis ſalutem, dicentis ad Zion,Regnat deus tuus.

Huc pertinet quod angelus cœlitus ſub ipſam domini natiuitatẽ occinit paſtoribus,imò omnibus fidelibus, Ne paueatis,Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum,quod futurum eſt toti populo, quia natus eſt uobis hodie ſeruator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Et Paulus,Euangelium, inquit, eſt potentia dei ad ſalutem omni credenti. Quod quid aliud eſt, quàm ſi dixiſſet, Euangelium eſt prædicatio potentiæ dei, per quam ſalui fiunt credentes. Eſt autem dei potentia ipſe Chriſtus dominus uerbum & brachium patris, in quo ſe exerit diuina potentia,ueritas,iuſtitia,miſericordia & gratia,quem propoſuit orbi pater,ut omnis qui in eum credit,non pereat, ſed habeat uitam æternam. Proinde ut uno uerbo rem totam complectar, Euangelium eſt felix illa prædicatio qua Chriſtus annunciatur nobis datus, ut per ipſum à diabolo,peccato & morte liberati,

berati, in ipso sanctificemur, & credentes patriæ restituamur, æternumq; uiuamus.

Euangelij uox ex prophetis petita.

Et quanquam ista satis explicent uocabulum Euãgelij, addam tamen illis & aliud ex Isaia testimonium, ut adhuc plenius Euangelij ingenium cognoscatur, & appareat apostolos domini Euangelij uocabulum ex prophetis, ut & alia ferè omnia sua, accepisse. Isaias ergo in 61. cap. Christum in hæc uerba, Luca interprete, loquẽtem inducit, Spiritus domini super me, propterea quod unxit me, εὐαγγελίζασθαι ad euangelizandũ pauperibus misit me, ut sanem cõtritos corde, ut prædicem captiuis remissionem, & cæcis uisum, ut emittã confractos per remissionem, ut prædicem annum domini acceptum. En, Ad euangelizandum, ait, pauperibus misit me: Et mox explicans quinam sint illi pauperes, Qui, inquit, sunt contrito corde. Rursus, hi sunt contrito corde, aut animo confracto, qui nihil in se sanitatis integritatisq; reperiunt, sed de suis uiribus desperant, toti à medico Christo pendent. Cæterum euãgelium est quod hi audiunt filium dei in mundum uenisse, ut morbidis & afflictis annunciet sanitatem, imò quod diuinæ bonitati placeat morbos nostros filij dei liuore & infirmitate mederi. His adduntur & alia quædam, quibus Euangelij natura plenius describitur, Vt prædicem inquit, captiuis remissionem, &c. Captiui tenentur omnes morta-

les in uinculis damnationis, & seruitutem seruiunt diu-
rissimam sub principe tenebrarũ diabolo, cæcíq; tenen-
tur in tenebris errorum, expectantes redemptionem.
Hic autẽ uenit filius dei ut uincula soluat, ut uictoriam,
imò uerum iubileum annunciet, id est prædicet quod cre
dentes Christi uirtute à seruitute peccati, diaboli &
mortis liberati, libertati filiorum dei donati, eq; tene-
bris in lucem admirabilem educti, æternæ uitæ hæredes
effecti simus. Hic inquam Euãgelij scopus, hæc summa
est, & ex his petitam apparet Euangelij uocem, unde
& uera eius natura cognoscitur.

Dignitas euangelicæ historiæ.

In his porrò nonnihil relucet Euangelicæ historiæ
dignitas, quæ uerbis alioqui dignis à nemine poterit ple
ne exponi. Nam inter diuina oracula recensetur qui-
dem quicquid legitur in Biblijs, inter omnes tamen di-
uinas scripturas Euangelium, ut & Augustinus ait, me-
rito excellit. Quod enim lex & prophetæ futurũ pro-
nunciauerunt, hoc redditum atq; completum in Euan-
gelio demonstratur: cuius primi prædicatores apostoli
fuerunt, qui dominum ipsum & saluatorem Christum
præsentem in carne uiderunt, cuius non solum ea quæ
ex ore eius audita, uel ab illo sub oculis ipsorũ operata,
dicta & facta meminerunt, uerumetiã quæ priusquam
ipsi adhærerẽt, in eius natiuitate uel pueritia diuinitus
gesta & digna memoria, siue ab ipso, siue à parentibus
eius

eius, siue ab alijs testibus fidelibus cognoscere potuerũt, imposito sibi euangelizandi munere, mundo exponere curarunt. Imò in hoc ipsum acceperunt spiritum sanctum apostoli, ut de omni ueritate plene edocti, sanctã, puram & absolutam mundo relinquerent theologiam Sacrosancta ergo & tuta hic sunt omnia, nec est quod quisquam hic ullum metuat periculum. Res describitur non uana, inutilis, superuacanea, curiosa, molesta uel mendax apud Indos gesta, uel nuper in nouis insulis reperta: nihil hic de rebus exoticis, Persicis, Babylonicis, Alexandreis ac Bactrianis, alijsq; his similibus, quibus prophanæ luxuriant historiæ, dicetur. Dicetur autem de uero, uiuo & æterno dei filio Iesu Christo domino nostro, de dictis & factis eius uere gestis: dicetur de salute nostra, et uita uere beata, et de ueris uirtutibus uitijsq;, uera, certa, utilis et compẽdiosissima tradetur doctrina.

Summa & perfectissima theologia in Euãgelio.

In lectione philosophica & historiarum exterarum optimi quiq; metuunt, ne pro ueritate mendacia, pro uirtutibus uitia apprehendant, aut uirtutes apprehendant non defecatas: in lectione autem euangelica omnia sunt uerissima, purgatissima, integerrima & syncerissima: & quod ad tradendi modum attinet, traduntur illa simpliciter, aperte & sine circunductionibus flexuosis: nulla aut paucissima uidere hic licet paradoxa, nullæ sunt rixæ de pugnantibus historiarum narrationibus

& absurdis philosophorum opinionibus, in quibus con
futandis bona temporis pars in alijs scriptoribus non
sine iactura & molestia consumitur: in Euangelio tota
beatæ uitæ ratio, uerissima certissimaq; uirtutum & ui-
tiorum regula breuiter, plane & cum iucunditate pro-
ponitur. In Christo enim domino, quem unum docet,
commendat & proponit omnibus Euangelium, recon-
diti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, & in illo
complacitum est patri omnem plenitudinem inhabitare,
& per eum saluare totum mundum. Vnde non immē-
rito dominus ipse in Euangelio dixit ad discipulos, Beati
oculi qui uidēt quod uos uidetis. Dico enim uobis, quod
multi prophetæ & reges uoluerunt uidere quæ uos ui-
detis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non
audierunt. Viderunt autem & audierūt Christum do-
minum, ac prædicationem Euāgelij liberalissimam, non
oculis & auribus tantum corporeis, sed animi quoq;.
Et Matthæus quod uidit & audiuit, omne breui hoc
opusculo Euangelico dilucide & fideliter cōplexus est,
ipsumq; omnibus nobis pie exhibet, ut credentes filio
dei beati simus. Ergo quod principes & sapientes uiri
non assequuti sunt ullibi terrarum, ne apud Athenien-
ses quidem, aut apud Massilienses, quod neq; Pythago-
ras apud Memphyticos uates, neq; Plato apud Aegy-
ptiorum sacerdotes, neq; Apollonius ille Thyanæus a-

pud

pud Brachmanas & apud Iarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantẽ inuenit atq; didicit, licet ſummo deſiderio expetiuerit inquiſieritq;, id totũ in breuiſsimo hoc Euangelij opuſculo cuilibet fideli ſedẽdo, & quouis in loco plene inuenire diſcereq; licebit.

De Solomone rege Iſraelis ſapientiſsimo & potentiſsimo ſic legis in libro Regum tertio, Et dedit deus ſapientiam Solomoni atq; intelligentiam ſupra modũ eximiam, & excelluit ſapientia omnes Orientales, & omnes Aegypti ſapientes: erat enim omnium mortalium ſapientiſsimus. Ideo uenerũt ex cunctis populis qui audirent ſapientiam Solomonis, imò ex omnibus regibus terræ, qui audierunt de ſapientia eius. Venit & regina Saba de remotiſsima regione, excita laude ſapientiæ Solomonis, ut ipſum audiret. At in Euangelio dominus, Surget, inquit, in iudicio regina Saba, & cõdemnabit gentem Iudaicam, quod uenerit è finibus terræ ad audiendam ſapientiam Solomonis: & ecce plus quàm Solomon eſt in hoc loco, quem iſti tamen contemnũt. Ergo cum Matthæus libro hoc ſuo ſapientiam, id eſt dicta & facta Solomonis, Chriſti inquam domini, præcipua deſcripſerit, profecto ueram & ſummam ſapientiam ac theologiam Euangelio hoc ſuo orbi tradidit, quam merito omnes reges, principes, ſapientes ac populi miren tur, adorent, atq; obuijs ulnis circumplectantur.

EVANGELIVM

DISPOSITIONIS ET PERIOCHES HISTORIAE EVANGELICAE SECVNDVM MATTHAEVM

LIBER I.

Caput 1.

Genus et Natiuitas Christi.

PRIMO capite describit Matthæus genus & natales Christi domini, é quibus secundum carnem & iuxta prophetarum oracula uerus homo genitus est. Generi conceptionem ac natiuitatem ipsam subtexit, demonstrans Christum dominum puré conceptum esse è spiritu sancto, & nõ ex semine Ioseph, natum autem ex illibata Maria uirgine.

Cap. 2.

Reuelatur Christus.

Deinde ostẽdit hũc Christũ natũ esse Iudæis et Gẽtibus: quorum illi tamen Christum nõ magnopere curant, hę uero diligenter quærunt, inueniunt & adorant. Nam ut Deus percelebri aliqua epiphania hoc mysteriũ salutis orbi exhibitæ declararet, mox ab initio incarnationis dominicæ homines Orientales, magos inquam uiros uidelicet principes & sapientes excitat, qui stella instigatore ex Oriente proficiscentes, regem & liberatorem orbis quæsitum ueniunt Hierosolymam, ubi cum ipsorũ præconio increbuisset natũ esse Messiam regem Israelis, conuocat rex Herodes omnes Iudæorũ sapientes ac pontifices, iubetq; ut diligẽter de ortu ac patria Messiæ prophetarum

phetarum oracula excutiant. Hi mox respondent in Bethlehem Iudææ nascendum fore ducem Israelis. Bethlehem ergo proficiscuntur magi, ubi et Messiam dominũ satis quidem pauperculum & uilem inuenũt, reuerenter tamen adorant, mysticisq; muneribus honorant, & suo hoc facto testantur, primũ quidem, hunc puerũ, licet abiectæ uideatur sortis, uniuersorum esse dominum, Iudæorum & Gentium regem assertorem: deinde eundem ab omnibus adorandum esse & colendum. Interea ueteres artes exercet antiquus serpens, Herodem enim Iudæorum regem excitat, ut Christum uerum Israelis regem in herba extinguat. Proinde uerox & ambitiosus tyrannus crudelitate inaudita oras Bethlehemiticas innocentissimo opplet infantium cruore, si forte in hoc bimulorum infanticidio regem quoq; Israelis extinguere liceat: sed fefellit hominem impurissimum spes funesta & nephanda. Subducitur enim angelo domini consultore in Aegyptũ dominus, ubi & latitat, donec parricidam nepharium diuina extinguat ultio. Quæ quidem prognostica fuerunt regni Christi, ac futurarũ ecclesiærum, in qua Christus unica salus toti orbi præfectus rex, ab impijs semper oppugnatur, sed idem interim salutem fidelium operatur, & patiendo uincit perpetuo: ita tamen ut pij nihilominus perpetuis exerceantur tentationibus & afflictionibus in suam ipsorũ utilitatem & gloriam.

Infanticidium Herodis.

LIBER II.

Caput 3.

SECVNDVS liber Commentariorum exhibebit tibi Lector clariorem apertioremq; domini nostri Iesu Christi saluatoris mundi manifestationẽ. Pater enim filium suum non iam paucis & delectis aliquot aut etiã una atq; altera reuelatione, quemadmodũ hactenus factitatum uidimus, sed toti mundo & demonstrationibus quidem innumeris & apertißimis aperit, spectandumq; cum omnibus thesauris suis manifestißime proponit. Nam initio Ioannem Zachariæ sacerdotis filium, in prophetis promissum Heliam, sanctißime uitæ hominem, & authoritatis apud Iudaicam plebem maximæ, euocat, & prædicatum filij aduentum: in carnem, imò præparatum omnium animos, quo uenientem Christum promptius recipiant, ablegat. Prodit ergo Helias iste, atq; omnes hortatur ad pœnitentiam, & ut uenienti domino sese parent. Diserte enim addit, In propinquo esse regnum cœlorũ, id est, nunc illud appetere, imò adesse tempus, quo deus per prophetas promiserit se per filium suum omnes gratiæ suæ donorumq; thesauros effusurum in homines, ac regnaturum in ipsis. Doctrinæ huic addit celebre & sacrosanctum Baptismi sacramentũ, quo mysteria dei, cultoribus dei uisibiliter etiam repræsentaret, atq; populũ fidelem in unum corpus colligeret ac insereret.

Ioan. bapt. prędicatio.

reret Christo. Deinde uero euocat cœlestis pater ipsum quoq; filium suum è Galilæa, in qua latuerat hactenus, in Iudæam, ut quoniã satis iam uidebantur plebis animi per Baptistam ad recipiendũ Christum præparati, ipsus nunc prodiret in theatrum, nõ amplius alieno testimonio, sed sua doctrina & suisipsius uirtutibus sese declarans & exhibens mundo. Venit ergo in Iudæam ad Iordanem dominus, ubi docebat Ioannes & baptizabat in Christum, atq; ipse quoq; à Ioanne baptizatur. Porrò Baptista agnoscit protinus saluatorem mundi, & ideo uerbis manifestißimis testificatur hunc illum ipsum esse dei filium, agnum dei qui tollat peccata mundi, de quo hactenus disseruerit, in quem omnes intendere iusserit, idipsum nunc ardenter repetens omnes ad unum ac solum Christum remittit. His addit præterea cœlitus pater cœlestis testimonium suum magnificum id certe & prodigiosum. Apertis enim cœlis, & demisso super Christi caput cœlestis columbæ uisibili signo ceu digito in Christum extento, uoce simul addita clarißima, Hic, inquit, est filius meus unice dilectus, & adeo dilectus, ut eius solius gratia mundo, cui ob peccata fueram infensißimus, nunc maxime sim placatus reconciliatusq;.

Christus ipse prodit & baptizatur.

Atq; hic quidem post tam excellens testimoniũ non protinus ipsum sese prædicauit, & omnibus uisendum fruendumq; præbuit hominibus, sed in palestram gra- Cap. 4.

Christus tentatur.

uißimarum tentationum progreſſus, in qua infeliciter pugnans Adam ſuccubuerat, ipſe nunc ſecundus Adam felicius certans, uictorem ſatanam & uincit, & uictum nos quoq; uincere docuit: uictor autẽ iam magna cum authoritate, utpote diaboli & omnium rerum dominus demum prodit, ac uitam & omne bonum adeoq; regnũ cœlorum promittit ſuis cultoribus, prædicans gratiam dei remiſſionemq; peccatorum, ac omnes adhortans ad uitæ emendationem. Præterea ut intelligeremus hanc uitæ promiſſionem & prædicationem gratiæ non pertinere ad eius tantum ſæculi homines, ſed ad omnes qui ad finem uſq; ſæculi futuri ſunt, deligit ſibi diſcipulos, quos in mundo omnium quæ diceret & faceret, teſtes conſtitueret, & quos myſterium uitæ pleniſſime edoceret, ut hi demum ſatis inſtructi, & uoce uiua & ſcriptis æternum uiuentibus theſauros gratiæ dei per Chriſtum toti mundo & omnibus ſæculis præſtitos commendarent, atq; ueluti diſtribuerẽt. Ad hæc adijcit inſignia & ingentia beneficia, dum uirtute ſua omnes morbos quantumuis inſanabiles profligat. Ita enim nobis omnibus non uerbis duntaxat, ſed ipſa quoq; uirtute declarat, ſe talem omnino eſſe qualem doctrina proponat, ſaluatorem uidelicet mundi, qui ſuos cultores & uelit & poßit ſaluare: quare hi quoque ſoli ſeſe per fidem committere debeant.

Christus deligit diſcipulos.

Hæc

Hæc inquam sancta ac salutaria disces ex hoc 2. libro, ut ipsa rei tantæ maiestas & utilitas te, nisi truncus sis totus, ad studium & diligentiam excitare possit.

LIBER III.

EXHIBVIT nobis inter alia quæ in hoc quarto capite tractauit Matthæus gustũ quendam sermonũ doctrinæ Christi de pœnitentia & remissione peccatorum, id est, de mysterio Euangelij & gratiæ dei, de agnitione inquam & confessione peccatorum, deq; conuersione à peccatis ad deum uiuum per fidem Iesu Christi, per quam assequimur remissionem peccatorum & uitam æternam quicũq; credimus ex animo: pergit iam idem author per consequẽtia tria capita etiam alios doctrinæ Christi præcipuos locos exponere, nõ iam solita breuitate utens, & capita duntaxat sermonis dominici consignans, sed totũ Christi sermonẽ, ita ut ab ipso habitus est ex integro contexens, quo uidelicet certius rectiusq; de omni doctrina Christi iudicaremus, atq; post pœnitentiã et remissionẽ peccatorũ, præcipua religionis nostræ capita, etiã alios præstãtiores doctrinæ Christianæ locos plenius intelligeremus. Oratio ipsa seu sermo Christi didacticus expositoriusq;, alicubi uero et paræneticus est, uarius itaq; & de uarijs rebus compositus. Principio enĩ luculenter disputat de uera beatitudine sen

Cap. 5.

Sermo Christi in monte.

Felicitas. felicitate, ostendens quibus in rebus illa sita sit, & tacite interim confutans stolidas & corruptas uulgi de uera

Lex. felicitate opiniones. Deinde descendit ad legem repurgandam. Corruperant enim hanc suis traditionibus, & obscurarant ipsam commentitia sua expositione Pharisæi, itaq; quis genuinus legis sensus sit, & quid lex dei à nobis requirat, productis aliquot è lege exemplis manifestissime demonstrat, simul & ueræ & falsæ iustitiæ

Iustitiæ operæ. differentiam ostendens. Et quoniam de iustitia differebat, & inter omnia opera iustitiæ maxime excellunt eleemosyna siue misericordia aut beneficentia, oratio item siue ardens cum deo colloquium, & ieiunium siue

Caput 6. corporis carnisq; nostræ castigatio, iccirco dominus noster illa ipsa opera iustitiæ siue exercitia pictatis repurgat ab hypocrisi, qua Pharisæi illa conspurcarant, pristino et natiuo nitori restituens, pulcherrimeq; indicans quomodo rite præstanda sit eleemosyna, quomodo uere oremus religioseq; ieiunemus. Hinc uero cum confessum sit non alium affectum perinde abstrahere ab omni pietate iustitiaq; atq; habendi studium, & nimis anxiam de uictu & amictu solicitudinẽ, ideo quarto loco gratia

Auaritia. oratione abstrahit ab auaritia, commode deniq; solicitudinem nimiam, id est perfidam diffidentiã eximit suorum pectoribus, & inserit rursus fidem in deum & fidele religionis ac iustitiæ studium. Post hæc summa fide

Cap. 7 &

& diligentia temerarium hominum de alijs hominibus iudicium, detractionem inquam & calumnias uitandas esse significans, ostendit moderate & recte uti lin- Lingua.
gua. Nō enim minores turbæ ex uitio linguæ quàm auaritia habendiq; studio exoriuntur.

Porrò cum hæc omnia uirtute diuina in nobis per gratiæ beneficium, non per nostras uires perficiuntur, ergo utiliter & in loco adhortatur per consequentia dominus cultores suos ad fideles preces, quibus sibi à deo uires suffici postulent, necubi suo desint officio. Ad hæc splendidissimas amplissimasq; promissiones adiungit, preces fidelium sese exauditurum pollicens, quo studium precandi magis inflammaret in pijs. Ista uero omnia copiosissime hactenus proposita in breue contrahens compendium, Omnia, inquit, quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Hæc enim est lex & prophetæ. Deinde proposito biuio & utriusq; uiæ modo, ratione & fine addito, ad illud nos omnes ingrediundum adhortatur, quod arctius est & asperius quidem, sed ad uitam interim æternam introducit. Rursus quia de itinere dixerat per quod abitur Pseudopro-
in præcipitium, protinus diligenti admonitione cauet phetæ.
necubi in exitium abducantur sancti pseudoprophetarum artibus & impostura, quos in hoc suis coloribus pingit, ne simplicioribus bona specie imponant, & à

ueritatis uia in hæreſum ambages ac præcipitia abripiantur. Tandem uero concludens diuiniſſimũ hunc ſermonem, poſtremo loco aperte docet, nullam ſpeciem externam ad pietatem perficiendã ulli prodeſſe homini, ergo ad pietatem & uitam conſequendam non ſatis eſſe audire & intelligere uerbum dei, aut magnificis etiã uocibus iactare, niſi & ſanctiſſimis fidei uirtutumq; operibus exprimamus: id quod ficta narratione ſeu parabola pereleganti expolit, & ob oculos omnium ſtatuit, inhortans quemlibet noſtrum ad uerum ueræ peitatis ſtudiũ, quod permanentẽ et ſuauiſſimũ habet fructũ uitæ.

Eſt autem hoc argumentũ & illa complexio totius orationis quam in monte habuit ad omnem populũ ſaluator noſter Chriſtus dominus De ea S. Auguſtinus, Apparet, ait, iſtum ſermonẽ omnibus præceptis, quibus Chriſtiana uita informatur eſſe perfectum.

LIBER IIII.

Chriſti beneficia ſeu miracula.

RECITAVIT Matthæus tribus præcedentibus capitibus Sermonem Chriſti integrum, quo nobis guſtum præberet, ac ueluti compendium contexeret uniuerſæ doctrinæ Chriſti, conſequentibus duobus capitibus uirtutem & potentiã Chriſti maximam, congeſtis beneficijs miraculoſis quampluribus illuſtrat, & illuſtratam

illustratã omnibus proponit diligenter considerandam, ut inde totus mundus colligat Iesum Christum uiui & omnipotentis dei, uiuum, uerum ac omnipotentem filiũ esse: nec omnipotentem modo, sed etiam benignissimum, qui uenerit conuertendis, sanandis saluandisq; peccatoribus. Hoc inquam diuinissimis & prorsus stupendis miraculis à Christo designatis euidẽtissime demonstrat, quorum haec summa est, initio mundat leprosum supplicem. Deinde Centurionis cuiusdam puerũ tamiam agentem animam, & quasi exanimem restituit uitæ ac sanitati integræ. Hinc socrum S. Petri febricitantem sanat: omnes deniq; omniũ infirmitates curat. Praeterea ipsum mare elementũ barbarissimũ & sæuis tumultuans procellis, increpitans, quouis oleo tranquillius reddit. Mox par dæmoniacorum, quod omnibus repagulis atq; catenis disruptis, uiatoribus prædomum erat molestum, nec cuiusquam arte aut robore domari poterat, tacita uirtute attrahit, è miseris integram legionem eijcit, & pristinæ restituit incolumitati. Post hæc paralyticum in lecto, non hominem, sed hominis uerius cadauer miserabile, decumbentem, morbo grauissimo ita liberauit, ut protinus ipse suis insistens pedibus, ambularet expedite, qui hactenus ab alijs fuerat portatus, ac ipse denique lectum ualidus gereret in humeris, à quo hucusque æger fuerat sustentatus. Inde uero uocatur ad Cap. 8. Cap. 9.

pœnitentiam Leui Matthæus, simulq; magna spes aperitur omnibus peccatoribus ad Christũ sese conuertentibus. His ita peractis, curatur incurabilis ille morbus fœminæ profluuio sanguinis calamitosissime laborantis. Reuocatur item ad uitam quæ excesserat Iairi filia. Et uisum recipiunt duo cæci, liberaturq; à demonio muto longe miserrimus quidã homo. Neq; uero hæc pauculà modo designauit miracula, sed per omnes ciuitates ac uicos transiens, ac Euangelium regni annuncians, sanabat omnes morbos & omnes languores in populo.

Scopus miraculorum Christi.

His inquam omnibus declaratur nobis ab apostolo Matthæo, et ceu firmissimis & irrefutabilibus argumentis ac testimonijs confirmatur, quod Christus sit uerus ueri dei filius, uniuersorũ dominus, elementorũ inquam omnium, morborũ & affectionum, omnium peccatorũ, diaboli, ac mortis deniq;, & quod ideo uenerit in hunc mundum, ut omnũ rerum nos dominos ac filios dei constituat, si uidelicet ipsum uera fide recipiamus. Itaq; studet Matthæus nõ tam uirtutẽ Christi & quod benignus & munificus sit largitor omnium bonorũ ex actis describere, quàm illorum quoq; fidem moresq; omnes depingere qui receperunt Christi beneficia. In his enim ceu uiuis exemplis discimus qualis esse debeat fides nostra, & quomodo nos geramus ut beneficiorum dei fiamus participes, id est, quomodo efficiamur filij dei, do-

mini

mini rerum, quibus non noceat uel peccatum uel mors, uel ipse deniq; satanas, si udelicet illorum exempla imitati, eadem cum ipsis præstiterimus. Miscet hs interim quædam in 8. cap. de Vocatione ad fidem Euãgelij, & in 9. cap. de Ieiunio & alijs quibusdam rebus, quæ & ipsæ faciunt ad explicationem uirtutis fidei, & dominicæ potentiæ ac benignitatis.

Est autem maxime euidens & populare genus doctrinæ, historia siue exemplis, id est factis magis quàm dictis docere: unde priores tres Euangelistæ in illis tractandis multo frequentiores sunt quàm in his exponendis. Et sanè Christus operans longe uiuacior nobis esse uidetur quàm docens. Quanquam enim doctrina eius energiam quoq; habuit diuinam, excellunt tamen quodammodo ipsa facta, istud quod docetur exercentia comprobãtiáq;. Nemo ergo priores Euangelistas præ Ioanne cõtemnat, quod hic in sermonibus Christi consignandis uideatur fuisse & crebrior & diligentior. Habent enim etiam illi suam maiestatem: sed & spiritus sanctus omnium animos & calamos in hoc direxit, ut ex quatuor authoribus authenticis haberemus certissimã et indubitatã de omnibus Christi dictis et factis historiã. Facta & sermones Christi.

Liquet etiã ex his quæ hactenus tractata sunt, Matthæum per initia usum esse ordine naturali, mox artificiali quoq;, & hoc ipso ordine nunc maxime progredi, Ordo artificialis.

utpote ad docendum appositißimo. Videtur enim non tam ſpectaſſe, ut id quod à domino dictum ac factũ erat, bona fide recitaret, quàm ut quodq; ſuo loco ac ordine collocaret, ipſoq; ordine ſuo commodo commode doceret, & animos auditorũ commoueret maxime, imò Chriſtum & fidem in Chriſtum infigeret altißime.

LIBER V.

HACTENVS recenſuit Matthæus compendium quoddã uniuerſæ doctrinæ Chriſti domini, quibus ſuos cultores abunde de uera pietate inſtruxit: adiecit huic maxima quæque eiuſdem miracula, opera inquam diuina & ſtupenda, quibus ille ſeſe declarauit dominum eſſe uniuerſorum, potentem ac benignum, qui uera fide ſibi adhærẽtes dominos quoq; efficiat peccati, mortis, ſatanæ, deniq; rerum omnium. Ad hoc negotium delegerat ſibi teſtes, quos hucuſq; omnibus ſuis tam dictis quàm factis adhibuit & ſpectatores & auditores, nimirum ut hi ſalutis communis negotium nunc quidem animis conceptum reconditumq; aliquando in totum orbem efferent. Et hi quidẽ uidebantur iam ſatis inſtituti in rudimentis & primordijs fidei ac doctrinæ Chriſtianæ, proinde oportuit eos porrò exerceri in his, atq; parari interim ad maiora: ablegantur itaq; ab ipſo domino

Cap. 10.

Inſtruuntur & mittuntur apoſtoli.

mino prædicatum nunc populo duntaxat Israelis euangelium, certisq; instruuntur mandatis. Nam dominus diligenter præscribit quid faciant, & quodnam ipsorũ sit officium: simul autem indicat quid passuri sint, imò quanto cum periculo coniunctum sit gerere ministeriũ uerbi in corrupto & ingrato sæculo. Ideoq; consolatur suos egregie & pulchre instructa oratione, docens quomodo in omnibus malis constanter in uera pietate perseuerare ac omnia mala uincere oporteat.

Post hæc exponit quomodo ipse dominus Iesus, qui unice à ueracibus uerbi dei ministris prædicandus commendatur, sese aperuerit ostenderitq; se esse Messiã uerum, unicam illam orbis expectatam salutẽ: quod certe totius prædicationis dominicæ primum & solidissimũ fundamentum est. Eodem loco contexitur & Ioannis Baptistæ encomium, optimi uidelicet ministri illustrissimum exemplum, omnibus qui recte sua functione uti cupiunt propositum. Adiungitur protinus & concionis dominicæ egregium exemplum. Principio, quomodo suæ gentis peruicacẽ incredulitatem obiurgarit, suisq; ministris accusandi increpandiq; specimen reliquerit. Deinde, quomodo melioris spei hominibus regnum dei annunciarit. Indicauit se omnium habere potestatem, adeoq; omnis boni se fontem esse inexhaustum, qui uelit cupiatq; hauriri, proinde omnes ad se inuitat, Cap 11. Christus Messias.

omnibusq; requiem quacunq; necessitate laborantibus præstiturum promittit. Mox quæstionem de religione sabbati diligenter tractat, obiter admonens beneficentiã & internum dei cultum deo plus probari quàm externam obseruantiam. Præterea beneficentiam quam iamiam commendarat, ipse mox præstat homini cuidam calamitoso et arida manu afflictissimo, cui integram restituit. Quia uero nullis nec beneficijs nec uirtutibus Iudaicæ gentis duritiam emollire poterat, ipsis subinde struentibus uitæ eius insidias, discedit ab ipsis ad tempus, nihil interim acerbius aut atrocius contra ipsos machinans, si fortè suauitate et longanimitate uinci queat, hoc ipso ministris suis, quid & ipsi in similibus casibus & cũ huiusmodi hoĩbus faciant, formulam præscribens.

Cæterum ab officio & à benefaciendo non desistit, neq; ueritatis patrocinium relinquit, in his ne tantillum quidem concedens hostibus suis. Ergo dæmoniacum sibi oblatum cæcum & mutum à dæmonio liberat, usumq; linguæ & oculorum restituit: & quoniam pharisæi diuinum hoc opus calumniabantur, ascribẽtes ipsum operationi satanicæ, dominus patrocinium ueritatis sibi sumit & ualidissimis argumentis euincit uirtutes, operã, adeoq; totum negotiũ suum diuina fieri uirtute non satanica, ac iccirco uenisse iam regnum dei. Hic enim iterum illustrat quod modo diximus primarium esse religionis

gionis nostræ caput, Iesum esse Christum. Simul autem aduersarios suos pro dignitate tractans grauissime increpat. Nam incredulitatem, imò impietatem ipsorum protrahit, & quid contemptoribus regni dei futurũ sit ostendit. Postremo, matrem ac consobrinos suos colloquium suum petentes duriore responso repellit, hoc ipso significans minimum esse tribuendum carnalibus affectibus quoties negotium agitur regni dei.

LIBER VI.

PROXIMO libro disseruimus de Ministris uerbi dei, & capitibus quibusdam primarijs religionis nostræ: sequitur iam copiosior de Verbo dei, eius uirtute, fructu & pretio tractatio: quæ conuenienter superiori argumento coniungitur. Nam ministeriũ uerbi dei circa ipsum uerbum dei uersatur. Illustratur autem hæc tractatio parabolicis sermonibus, ut uel sic ad perquisitionem ueritatis ac mysteriorum dei animi piorum excitentur. Et prima quidem parabola de seminante semen in agrum contexta, indicat diuersa esse auditoriũ uerbi dei genera, nec omnes probari deo uerbi sui auditores, sed eos duntaxat in quibus semen ad iustam frugem peruenit. Mox alia parabola, zizaniorum uidelicet, etiam aliud bonæ segetis uitiũ ac pestem ceu digito

De uerbo dei.

Cap. 13.

demonſtrat, docens interim quomodo bonum ſemen ſeruari poſſit incolume. Hinc duabus alijs parabolis de grano ſynapis & fermento compoſitis, oſtendit quanta ſit uirtus uerbi dei, & quam euidenter in ijs operetur à quibus exceptum eſt, tametſi mundo uideatur uile & contemptum. Quarto loco duabus rurſus parabolis de thesauro in agro & pretioſiſsima margarita propoſitis, ſignificat tantum eſſe uerbi dei pretium, ut præ hoc merito contemnamus omnia in mundo quantumuis pretioſa, imò ut omnium bonorum iactura uerbum dei nobis comparare contendamus. Porrò parabola de Verriculo iacto in mare expoſita, illorum præcipue fatum qui ſanctorum cœtui ſeſe intermiſcent, uerum hypocritæ ſunt, & pietatem mentiuntur, depingit, docens interim non facile ullum eſſe mox condemnandũ, ſed ſuo quenq; iudici relinquendum. His ad hunc modum expoſitis, iubet etiam miniſtros ſuos commentari parabolas, proq; illuſtranda ueritate & regni dei gloria ecclaſiæq; utilitate omna eloquutionis genera adhibere. Et quamuis dominus ita doceret, ut nemo poſſet uel fidem uel diligentiam eius accuſare, tamen parum gratus & acceptus erat ſuis popularibus irridentibus atq; contemnentibus doctrinam pietatis cœleſtem. Verum iſtud forti animo pertulit, omnibus ſuis exemplũ præferens, ut & ipſi æquo animo tolerent, ſi mundus ipſis quoq;

parum

parum sit gratus. Imò subijcit mox Matth. admirandũ optimi uiri Ioan. Baptistæ exemplũ, qui et ipse fideli suo ministerio peßimam ab Herode gratiam retulit, capite ab hoc miserabiliter truncatus. Hinc pascit in deserto diuina uirtute frequentem hominum multitudinem miro ardore prædicationẽ uerbi sitientem: eo miraculo ostendens, fidelibus uerbi dei sectatoribus nihil unquam defuturum earum uidelicet rerum quæ ad necessitatem non luxum pertinere uidentur. Simul autem discipulos suos eodem facto docuit fideli & laboranti populo beneficijs subuenire. Postremo discipulos ex lacustribus procellis & tempestate graui laborãtes, nihilq; aliud quàm præsentissimã mortẽ operientes, liberat: ita suis declarãs se illũ esse qui ex omnibus poßit eripere periculis, potentiaq; & gratia sua seruare posse omnes, præcipue tamẽ uerbi sui ministros. Ergo si qd Ioannis terruit exemplũ satis atrox & horrendum, confirmant rursus & consolantur hæc duo ingentia et pulcherrima dei beneficia.

Ioan. Bapt. interitus.

Cap. 14.

LIBER VII.

TRACTATIONI de Verbo dei cõueniẽter subiungitur à Matthæo disputatio de Traditionibus humanis siue Constitutionibus patrũ, utpote uerbo dei oppositis. Eas manifestè docet Christus contemnere,

De traditionibus humanis.

ſiquidem in contumeliam derogationem atq; contemptū
Cap. 15. uerbi dei tenderint. Et quoniam Phariſæi humanarum
traditionū patroni, ſalutari hac domini doctrina offen-
debantur, adiungit dominus talis offenſionis & talium
hominū nullam prorſus rationem eſſe habendam: oſten-
dens interim rebus externis non pollui hominem, ſed iis
potius malis quæ ex animi proficiſcuntur penetralibus.
Mox ab induratis ingratisq; hominibus ſe auertens, in
regionē Gentiliū concedit, ubi protinus inuaditur à Sy-
rophœniſſa ualidiſſimæ fidei muliere: in qua et mirifica
Fides. exemplū ueræ fidei & effectus eius clariſſime propo-
nitur. Nam poſt repudiatam doctrinam falſam, quæ falſæ
fidei mater eſt, multa diligentia traditur in hoc VII. li-
bro, quemadmodum & IIII. factitatum eſt, fides in do-
minum uera uerumq; fidei ingenium, explicantur item
primi fidei noſtræ articuli. Porrò in Galilæam regreſſus
turbam denuo ſe conſectantem paſcit, iſto quoq; benefi-
cio indicans ſe eſſe qui & animam & corpus paſcat,
ac iccirco fide alimentum illud unice & impenſiſſime in
paſtore Chriſto ambiendum. Poſtea phariſæos ſignum
quo ſe Meſſiam eſſe comprobaret, poſtulantes repellit,
repoſito ipſis mortis & reſurrectionis ſuæ ſigno.

Cap. 16. Deinde iubet ſuos cauere à Phariſæorum & Saddu-
cæorum doctrina: quod quanquam & initio 15. cap.
tradiderat, repetit tamen hic in cap. 16. utpote rem
eccleſiæ

ecclesiæ in primis necessariã. Rediẽs dehinc ad ueræ fidei cõmendationẽ, fidei fundamentũ collocat, fundamento ecclesiã imponit, & quæ sit uera catholicæ ecclesiæ fides, quæ uera & orthodoxa cõfessio ceu digito demonstrat, simul ostendens quomodo ea possit plantari. Quibus protinus adiungit manifestissimam de passione & resurrectione sua, item de abnegatione sui & cruce post Christum ferenda, deq; futuro iudicio, hoc est, maximis fidei nostræ articulis, sanctoq; Christianorum officio, ad fidei integritatem omnino pertinentẽ doctrinam. Rursus ne quis tristi hac & laboribus ærumnisq; plena de ferenda cruce doctrina offenderetur, subiungit Matth. confestim glorioſam Christi domini in monte transformationem, qua hic partim gustum exhibuit qualis ipse futurus sit in gloria, & qualis sit ratio futuræ gloriæ, ijs paratæ qui se cruci Christi fideliter ac patienter implicarint: partim uero euidentissime demonstrat se esse Christum illum in lege & prophetis promissum, quo fidem in se omnium credentiũ confirmaret. Et hæc quidem tam manifeste discipulis proposuit, ut iam aperte intelligerent Iesum esse Christum, atq; ideo quæstionem mouerent de aduentu Heliæ præambulonis Messiæ, ad quã protinus respõdens dominus asseruit se esse Messiã, Ioannem uero Baptistam Heliam. Postremo restituit Lunaticum quendam supplici patri suo, eodem rursus be-

Cap. 17.

Christi trãsformatio.

neficio declarans se esse regem populi sui, uictorem diaboli, item quanta sit fidei uirtus, & quantum incredulitatis malum, appendens temperantia & abstinentia ex uera fide profectis, maxime diaboli uires infringi. Atq; his adiungit cuestigio prædicationem de morte & passione sua, non sine insigni & ubere fructu.

LIBER VIII.

Cap. 18. RECTE composita fide in dominum Iesum, rectéq; indepta uera regni filij eius cognitione, de qua multis hactenus egit Matthæus, prudenter nunc transit ad ea quæ ferè circa externam hominis conuersationem uersantur, interim ipsa quoq; ad regnum Christi pertinent. Cuiusmodi est quæstio de Magistratu, Quid huic debeant Christiani? Ostendit ergo suo ipsius exemplo dominus, quid hic recte faciamus. Huic affinis est quæstio de prælatura ecclesiastica, Quis maximus sit in regno cœlorum? Auocat hic dominus suorũ animos ab ambitione ac disputationibus de primatu institutis, & humilitatem diligentissime docet. Mox adiungit & utilem admonitionem de uitando scandalo: ubi etiam differit de admonitione fraterna, de reprehensione publice peccantium, & de condonatione noxæ, quam singulis grauiter suadens pulcherrimam super hac re con-

De magistratu.

De prælatura ecclesiastica.

texit

texit parabolam. His absolutis disputat de Diuortio: Cap. 19.
restituit ac reformat sancti matrimonij ueterem & sanctam institutionem: recenset eunuchorum genera, indicans cœlibatum singulare esse donum dei. Quia uero matrimonium maxime propter liberos procreandos diuinitus inuentũ est, proxime post restitutum coniugium ostẽdit quo loco sint liberi apud deum. Producit & adolescentis cuiusdam exemplum, quo doceat ad adolescentes quoq; pertinere quæstionem de regno dei, & deum cupere ut iuuentus recte eruditur. Ibi indicatur qua pateat ad cœlos uia, quis item sit usus opum, & quo animo oporteat possidere terrenas facultates.

Porrò ex colloquio domini oritur iam alia disputatio de præmio uirtutum, & quàm modeste oporteat sentire eos qui expectant præmia. Id quo animis omnium infigeret altius, producit parabolam patrisfamilias, conducentis operarios in uineam suam: qua interim Iudæos tacite perstringit & gentium receptionem nõnihil adumbrat. Rursus ne quisq; præmij uoce elatus arbitraretur se suis iustificandũ operibus, diligenter concionatur dominus de morte & resurrectione sua, ut intelligamus illis nos iustificari. Et quamuis hæc multa cũ grauitate inculcaret, caro tamẽ ad honores aspirãs perpetuo, nõ ea quæ dei, sed quæ hominũ sunt, quærit. Nam mater filiorũ Zebedæi, non nescijs filijs, primatũ petit à

domino filijs. Hunc inuident ipsis reliqui discipuli, & inter sese acriter ambitiosißimeq; digladiantur. At dominus reducit omnium mentes ad humilitatem, euidentißimis argumentis eximens uenenum illud pernitiosißimum. Postremo cæcis misericordiam dei implorantibus restituit uisum, in hoc ut omnibus modis declararet se iuuandis saluandisq; hominibus in terram uenisse.

LIBER IX.

Ingressus domini in urbem.

DESCRIPSIT proxime Matthæus quid hactenus egerit dominus in Galilæa & in itinere Galilæa proficiscens Hierosolymam, porrò exponit quid in ipsa urbe sancta & regia fecerit. Quo autē propius accedit ad crucem & mortem, hoc uiuidius salutare exerit uires, & magnificam suam potentiam ac gratiam sanctißime ostentat. Nunc enim urbem sanctam pompa planè noua & humili ingrediens, clarißime demonstrat se esse regem illum siue liberatorem Israelis expectatum. Excipitur promptis animis ac splendide à plebe, ut inde discamus etiam nos uere & religiose excipere dominū. Ipse uero in templo, præ liuore & odio rumpentibus propè Pharisæis ac sacerdotibus munia planè regia & sacerdotalia exequitur. Principio enim à sordibus repurgans templum & sanctum dei cultum reformans

Cap. 21.

uendi

uendentes & ementes proturbat è templo: deinde pauperum curam suscipiens, ægrotos sanat. Et his feliciter peractis, urbem egreditur, ficum nullos ferentem fructus execratur, quæ protinus exarescens, typo quodam fatum urbi sanctæ impendens adumbrauit. Quanquam dominus eius quoq; occasione discipulos ueram fidem docet, & ipsis fideles preces commendat. Rediens uero in templum, pro sacerdotali officio diligenter docet, & acriter concertat cum hostibus ueræ religionis. Hi enim interrogantes, Qua authoritate dominus illa quæ peragebat, faceret, oppositaquæstione compescit, imò grauissime ipsos accusat perfidiæ & impœnitentis uitæ. Nam in hoc producit parabolam contextam de duobus filijs, comparans hostes suos cum publicanis ac meretricibus, ut ostenderet hos illis esse religiosiores beatioresq;. His adiungit protinus aliam parabolam patrisfamiliâs elocantis uineam suam agricolis siue colonis, qua graphice depingit dei beneficia & populi Iudaici pertinacem & impudentem ingratitudinem, quibus mox appendit pœnam, Iudæos uidelicet reijciendos, & in ipsorum locum asciscendas gentes. Quó nimirum & illa parabola quã de inuitatis ad nuptias contexit, pertinet, exprobrans Iudaicæ genti inobedientiã & incredulitatem, ob quam sint excindendi ac repudiandi. Cap. 22.

His absolutis pergit Matthæus delineare graues ali- Disputationes domini.

quot acres & utiles quæstiones siue disputationes habitas inter dominum ac legisperitos. Principio de eo, An census Cæsari pendēdus sit? Deinde, An mortui resurgant & quomodo resurgant? Hinc, Quodnam sit præstantissimum in lege mandatum: quis scopus & quodnam argumentum sit legis & prophetarum? Post hæc, Quomodo Christus cum sit Dauidis filius, secundum carnem, possit simul eius quoq; dominus esse? Hæc omnia pro sacerdotali officio religiosissime, doctissime, clarissimeq; multo cum fidelium fructu exponit dominus noster. Postremo autem cum cerneret Pharisæos & reliquos populi duces planè cæcos esse, induratos & incurabiles, grauissime in ipsos inuehitur, accusans eos grauissimorum & prorsus enormium scelerum: addit scelerum pœnam, atrocissimum & gentis & urbis excidium. Hæc omnia egit palàm, magna cum authoritate in templo dominus noster, his uarie & in multis utiliter suam erudiens ecclesiam.

Cap. 23.

LIBER X.

Cap. 24. Vaticiniū de excidio Vrbis & Orbis.

OBITER sed perfrequenter meminit dominus noster hucusq; excidij gentis Iudaicæ & Hierosolymitanæ urbis: in quo & abiectionem Iudæorum: dei consortio, & prophanationem templi, sacerdotij totiusq; cultus comprehendit. Hæc quoniam mira & in-

incredibilia uidebantur, deum uidelicet populum illum è sanctis natum parentibus, locum item & cultum & sacerdotium sanctum prophanaturum, plenius, discipulis rogantibus, iudicium seu fatum populo & urbi impendens exponit, graphice describens quæ prodigia atq; ostenta, quæ turbæ, calamitates, & miseriæ interitũ illũ sint præcessura, et qualis, quàm crudelis, horrenda, terribilisq; futura sit uastatio. Mox occasione excidij urbis disserit & de orbis excidio siue de consummatione sæculi, & de glorioso aduentu illo filij hominis in iudiciũ: adhortans omnes homines ad sobriam & diligentẽ uigiliam, præmia proponens uigilantibus, & pœnam minitans inertibus stertentibusq;. Quæ protinus uenustissimis copiosissimisq; illustrat parabolis, tam uigilantium quàm stertentiũ partes persequens. Postremo subiungit Matth. descriptionem ac ueluti picturam quandam iudicis uenturi & extremi illius iudicij: in quo à iudice profertur contra omne genus mortalium sententia ultima, bonis quidem iucunda, malis uero tristissima. Nam ita concluditur hoc negotium, Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti uero in uitam æternam. Cap. 25. Vigilandũ omnibus.

LIBER XI.

SVBIVNGITVR his omnibus ceu colophon & totius salutis nostræ absolutio perfectissima, sa-

Passionis Christi historia.

crosancta & utilissima Passionis & redemptionis Christi domini historia: in qua omnia tam sacerdotis quàm regis officia explet, breuiq; in compendio maximas uires suas omnibus spectandas proponit. Nam & uerbis & factis suis omnibus diligenter docet, sacramentũ celebre instituit, ardentissime orat, sacrificat pro peccatis, ac peccatores expiat, liberat, miseretur, defendit suos, atq; proterit punitq; impios, incredibilem passim humilitatem præstans, neq; exiguam interim gloriam proferens, quando omnia elementa in morte eius turbata ceu doloris sui maximi insignia dedere argumenta. Pulchro ordine & stilo puro, dilucidoq; atq; uegeto persequitur singula Matthæus. Primo enim tempus commemorat quo passus est, et summã passionis proponit. Deinde caussas describit mortis domini aliquas, partim ex inuidia & malitia sacerdetum contra Christum, partim ex auaritia & horribili defectione Iudæ dominum suum senatui pontificio uendentis, proficiscentes. Absolutis caussis accedit ad descriptionem Cœnæ illius ultimæ: in qua ante omnia prædicit suis & mortẽ suam, & quis à suis & proditus sit & diuenditus: præterea multis modis animum Iudæ proditoris ad resipiscentiam sollicitat: sed frustra. Hinc instituit in ea Sui corporis & sanguinis celebre sacramentũ, commemorationem mortis suæ, in qua uidere licet nostræ salutis totiusq; pietas

Cap. 26.

Cœna.

tis compendium. Vbi uero cœnatum esset, exit cum discipulis in montem oliuarum. In itinere prædicit scandalum ingens oboriturum inter discipulos. Hi autem satis audaces & temerarij, neq; suam infirmitatem satis agnoscentes, constantiam et fidem pollicentur eximiam, Petrus in primis, cui tamen dominus lapsum prædicit fœdissimum.

In horto montis oliuarum mirabiliter angitur, & metu mortis miserabiliter discruciatur, orat interim ardenter atq; constanter, committens & se & totum negotium suum deo & sanctæ eius uoluntati. Iam & discipulos dormitantes excitat sedulo: cumq; in eo occuparetur, adest proditor Iudas, trahens post se cateruam nequissimorum & spurcissimorũ hominũ: mox osculatur magistrũ, & osculo impijssimis hostibus prodit dominum suum. Nam ministri pontificij irruunt in dominum, capiunt, uinciunt, opprimunt. Interea infeliciter pro domino suo pugnat Petrus, reprimiturq; à domino: qui protinus & ministrorum pontificiorũ apertam, grauem, iniquissimamq; contumeliam sibi iam irrogatam obiurgat. Dum autem hæc ita fierent, aufugiunt discipuli à domino omnes. In horto quid factũ.

Ipse uero ad Caiapham sacerdotum principem abducitur in consistorium. Ibi duo potissimum aguntur. Accusatur dominus corã sacerdotibus & synodo, pro- Iudici sistitur dominus captus.

ducuntur testes falsi, iniquissime discutitur caussa domini, tandem uero condemnatur, cæditur atq; conspuitur indignissime. Simul autem & Petri abnegatio turpis & pœnitenda copiose describitur.

Cap. 27. Lata condemnationis sententia, continuo à sacerdotibus & è consistorio aulaúe summu præsulis abducitur in prætorium augustum ad præsidem Rom. Pontium Pilatum, cui traditur ceu mortalium nocentissimus, merítemq; commeritus turpissimam. Interea Iudas proditor in sese altius descendens, & facinus suum longe crudelissimũ rectius expendens, abit in templum, pecuniam proditoriam sacerdotibus reddit, desperat, ac sibiipsi horribile consciscit exitium. Sacerdotes è pecunia sanguinaria emunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum.

Quid actũ coram Pilato. Porrò Romanorum præses Pontius Pilatus diligenter inquirit caussam & accusationis capita à sacerdotibus contra dominũ instituta: intelligitq; protinus sacerdotum inuidiam esse in caussa: proinde & innocentem pronunciat, & absoluendum omnino censet: uniuaria & multa tentat ut innoxium liberet. Sacerdotes contra instant improbissime, accusant, urgent, mentiuntur, minantur, plebem item concitant, tandem & clamoribus importunis iudicem delassatum frangunt, ut dominum permitteret eorum libidini, suisq; militibus tradere

traderet crucifigendum. Milites ergo crudelißime indigniß imeq; filium dei flagris cædunt, ſerto ſpineo coronant, per contemptũ adorant, derident, atq; conſpuunt: hinc crucem in humeros eius inijciunt, & ſeminecem pertrahunt ad locum capitalem.

In eo crucifigunt ipſum medium inter latrones nephandißimos, partiuntur ueſtes eius ceu ſpoliam quoddam, poſitaq; omni commiſeratione & humanitate, illudunt acerbißima perpetienti tormenta, quaſi ſpe ſua apud deum fruſtratus ſit. Ipſe uero in tot tantisq; contumelijs atq; tormentis ſumma in fide & patientia conſtanter perſeuerans, ſanctißimeq; pro peccatis totius mundi litans, ad deum patrem clamat, cui & expirans tandem ſanctißimam tradit animam. Mox autem ut expiraſſet ſcinditur uelum in templo Hieroſolymitano, fiuntq; in cœlo & in terra ſtupenda quædam prodigia: quibus permotus Centurio ethnicus palàm teſtatur Ieſum hunc, quamuis crucifixum uerum eſſe dei filium. Crucifigitur dominus.

Poſt hæc adit Pilatum Ioſeph ab Arimathea, ampliß imæ fidei & dignitatis homo, & poſtulat ſibi dari corpus Ieſu ad ſepulturam. Concedit id ſponte Pilatus, ergo ſepelitur domini corpus digniß ime. Porrò Iudæorum primores metuentes reſuſcitandum dominum, poſtulant & ipſi à Pilato cohortem militum ſibi ad ſepulchri cuſtodiam dari: accepta hac uali diß ime

ſepulchrum cingunt, & ne ulla committeretur fraus, lapidem ſiue operculum ſepulchri obſignant, nimirum ut uiuentem retinerent inter mortuos.

LIBER XII.

Reſurrectio domini.

Cap. 28.

POSTREMO hoc capite deſcribit Matthæus gloriosam ex mortuis Ieſu Chriſti domini noſtri reſurrectionem. Deſcēdit de cœlo angelus domini, reuoluit lapidem ab oſtio monumenti, incuſſo telluri terre motu, prodit autem ilico rediuiuū & glorioſum domini corpus. Porrò quia angelus fulguris inſtar radiabat, cuſtodes territi, non obſtant reſurgenti domino, ſed fugæ ſibi conſulendum putant. Interea ueniunt mulieres ad ſepulchrum, portantes quæ parauerant aromata. His apparet angelus ille domini, ac Chriſtum uere reſurrexiſſe docet, iubens ut protinus abeant, atq; reſurrectionem diſcipulis nuncient. Abeuntibus obuiam uenit ipſe dominus, rediuiuum exhibens ſe eis manifeſte, precipiensq; ut reſurrectionem ſuam ueram nuncient diſcipulis. Dum hæc fierent, milites illi ſepulchri cuſtodes, quos modo ſtationē ſuam reliquiſſe ac fugiſſe diximus, in urbem uenerant, pontificibusq; uiſa narrabant, quomodo deſcenderit de cœlo angelus, lapidem reuoluerit, Chriſtus rediuiuus prodierit, & quàm illuſtris horribi-

liſq;

lisq; fuerit angeli ſpecies. Ad quod nuncium prorſus conſternati, & amentes ſacerdotes ac phariſæi, pecunia corruperunt milites, qui ſicut docti fuerant mentientes, fabulam in uulgo excitarunt ridiculam, ipſis uidelicet dormientibus ueniſſe diſcipulos, ac corpus è ſepulchro ſurripuiſſe.

Cæterum dominus Ieſus manifeſtiſſime ſe ſuis uiſendum exhibens in Galilæa, ſuos in ueritate fidei confirmat. Et quoniam omnia ea quæ in hoc libro hactenus expoſita ſunt de doctrina, factis, morte & reſurrectione Chriſti ad cõmunem totius generis humani ſalutem pertinent, iccirco diſcipulos ſuos in totum mundum ablegat, iubens baptizare ac prædicare euangelium omni creaturæ, pollicens interim ſe quanquam corpore in cœlum aſcendat, affuturum ſuis ac ſuæ eccleſiæ ſanctæ perpetuo ac in finem uſq; ſæculi.

Ablegantur apoſtoli in orbem prædicatũ euangeliũ.

DIDICISTI hactenus ex hoc ſacroſancto S. Matthæi euãgelio, ô fidelis anima, IESVM illum dominum noſtrum Dei æterni & Mariæ uirginis filium ſub Pontio Pilato crucifixum, uerum illũ eſſe Chriſtum ſiue Meßiam ſaluatorem mundi, quem Moſes & prophetæ prædixerũt uenturum in mundum. Hic quamuis deus ſit uerus, & ab æterno conſubſtantialis patri, ſub Auguſto tamen Cæſ. carnem ueram ex intemerata uirgine Maria aſſumpſit, & homo, nobis per omnia, exce-

Summa totius operis huius.

pto peccato, consubstãtialis, factus est. Sub Tiberio Cæs. ueram sapientiam & religionem in Galilæa atq; Iudæa docuit, omnem superstitionẽ subuertit, miraculis quoq; stupendis fidem sibi fecit, & omnibus beneficia, hactenus in orbe non audita, præstitit, calamitosis & peccatoribus in primis. Tandem uero idem sacerdos & hostia sponte sua sese deo patri pro expiatione omnium totius mundi peccatorum, obtulit, crucifixus secundum scripturas, mortuus & sepultus. Resurrexit autem tertia die proprio illo suo corpore quo sepultus fuerat, resurrexit inquam uere, ueramq; carnem, sed clarificatam discipulis suis manifeste exhibuit. Eodem corpore uero in cœlum ascendit, consedítq; ad dexteram patris omnipotentis, rex & dominus factus uniuersorum. Cuius gratia merito atq; uirtute iustificantur quotquot credunt. Ipse enim est orbi à patre datus, iustitia, uita, salus, & redemptio. Per ipsum uiuent à morte corporea animæ nostræ apud deum. Per eundem excitabuntur & corpora nostra in die iudicij, ut integri iam anima & corpore cum ipso in regno dei uiuamus & lætemur in sæcula sæculorum. Cui sit laus & gloria semper.

FINIS.

DISPOSITIONIS ET PERIOCHES HISTORIAE EVANGELICAE SECVNDVM MARCVM LIBER I.

AVSPICATVR *historiam euangelicam S. Marcus à baptismo & doctrina Ioannis Baptistæ, indicans quid docuerit, quid de Christo domino testificatus sit, quomodo se gesserit, ac Christum dominum baptizarit. His adijcit protinus quomodo unctus reuelatusq; sit Christus, quomodo tentatione graui sit exercitatus, postremo quomodo prodierit ac regnum dei prædicarit. Hic uero adhibet sibi ab initio protinus dictorum & factorum suorum testes, uocans aliquot discipulos, quos formet orbis totius doctores, quando uenerat totũ orbem ueritatis doctrina illuminaturus, atq; redempturus ex potestate peccati, mortis, inferorũ, atq; Sathanæ. Illis subiungit maximum doctrinæ Christi effectum atq; uirtutem. Omnes enim stupent super doctrina eius. Coercetur imò & eijcitur sathanas, qui Christo cum tremore cedit.* Cap. 1.

Postea describitur ipse Christus & uirtus Christi omnipotẽs, ex factis. Omnes enim morbos curat, omnia mala pellit, peccata remittit, peccatores iustificat & Cap. 2.

restituit integritati. Suppeditantur interim uaria fidelibus exempla, in ijs qui Christum imploraturi opem accedunt, quomodo nos quoq; oporteat accedere ad Christum. Mox repurgat dominus ieiunia & ferias populi sui ab erroribus pharisaicis, interim & uires suas de-
Cap. 3. promit, demonstrans se esse filium dei. Cæterum cum ad hunc modum satis se insinuasset suorum animis, ut iam intelligere inciperent uirtutem Christi filij dei, ex ipsa designat duodecim, quibus prædicandi euangelij munus iniungit, eosdem & potentia edendorum miraculorum instruit. Deinde ostendit quod successus euangelij & miracula euangelica uirtuti diuinæ, nõ sathanæ aut magi- sint tribuenda. Sed & suo exemplo indicat quales esse oporteat uerbi dei prædicatores, qui nimirum re-
Cap. 4. nunciarint carni & sanguini, & qui sint filij dei. Ex qua occasione protinus disserit copiose de semine ex quo nascuntur filij dei, de auditu uidelicet uel auscultatione uerbi dei, de effectu, ui, successu, & fructu uerbi dei. Quæ omnia elegantissimis inuoluta & cooperta parabolis proponit. Adiungit item morbos uitia & pericula quibus obnoxiũ est semen dei, ubiq; interim uirtutem Christi maximam prædicans.

LIBER II.

PRÆ

PRAECEDENTE libro multa de Verbo dei disputata sunt. At huius unicus & certissimus scopus est Iesus saluator mundi, & fides in ipsum. Ergo ut illustrius esset nomen Christi saluatoris, et fides in ipsum cõmendatior omnibus sanctis, tres nobiles historias subiungit in cap. 5. Marcus, quibus & potentiam atq; uirtutem Christi illustrat, & fidem in Christũ docet. Postea redit iterum ad uerbum dei & prædicationem uerbi. Cap. 6. Inducit enim dominum in patria sua docentem, qui & populi sui ingratitudinem acriter incusat. His pulchre subnectit ablegationem discipulorum ad munus prædicandi, atq; præcepta quibus abeuntes instruxit. Iam & obedientiam diligentiamq; discipulorum attingit. Mox connectit illustrem S. Ioannis baptistæ historiam, in qua proponitur egregium exemplum boni & cordati concionatoris, & quis fuerit eius exitus. Rursus ad consolationem ministrorum suorum, & ad instructionem omnium fideliũ, pascit turbas in deserto dominus, liberatq; in lacu periclitantes. Ita enim testificatur dominus se esse cibum fidelium, se esse pastorem summum, se dare pastores, se liberare inuocantes ipsum ex omnibus periculis, inq; tranquillum deducere portũ. Et hæc quidem Cap. 7. hactenus de Doctrina ueritatis: subiungitur illis à Marco de traditionibus humanis tractatus. Eas cauere & fugere docet dominus. Relictis tamen mox doctoribus

humanarum traditionum, conuertitur ad populum, & huic exponit quæ sit uera animi puritas, quis scopus doctrinæ pietatis, ut purgetur mens hominis. Postremo docetur exemplo Syrophœnissæ uera in Christum fides, docetur quanta sit domini uirtus atq; bonitas.

LIBER III.

Cap. 8. QVIA potissima uirtus Christianorũ fides est, Marcus subiungit quædam quibus fidem piorum uerbis & factis Christi docet iterum atq; confirmat, medicans affectui qui fidẽ ualide obturbat, curamq; præsentium rerum adeoq; ipsam diffidentiam alte insederit. His coniungit exemplum incredulitatis pharisaicæ, ostendens incredulitatem scelus & nephas esse maximum. Præcipit suis ut sibi caueãt à fermento pharisæorum. Mox cæco oculos reddit, ut uel inde appareat quis reddat pijs oculos animi. Subiungitur deinceps confessionis ueræ fidei Christianæ exemplum. Vbi dominus permulta disserit de fidei mysterijs, quomodo nobis parata salus per mortem suam: disputat & de abnegatione
Cap. 9. sui siue de mortificatione carnis. Subiungitur his transfiguratio domini, ut hinc gustum habeant uitæ futuræ quicunq; præsentem contemnunt. Postea egregio demonstratur facinore Iesum esse Messiam mundi saluato-

rem,

rem, qui è potestate diaboli uenerit liberaturus credentes, qui precibus & ieiunijs contra illius insidias inuigilant. Iam etiam modestiam animi humilitatemq; suis commendat, monens interim ne quẽ damnemus, aut repellamus protinus: ubi & de scandalo & correctionis necessitate atq; usu disputãt.

LIBER IIII.

NVNC capitibus aliquot describit S. Marcus colloquia quædam selecta & illustria domini, de arduis & ad uitam sanctam recte componendam maximopere necessarijs, instituta, unde scilicet sancti discant quomodo se in mundo pie gerant. Et initio quidem disputat de coniugio, quod contaminatum pharisaicis traditionibus restituens integritati natiuæ, repurgat. Deinde cũ liberi sint coniugij fructus, secundo loco de illis agit, quid de ipsis quod salutẽ ipsorũ attinet sentiamus, docens ipsos ad deum esse perducendos. Tertio loco ponitur insigne domini colloquiũ cum adolescente opulento: ex quo uaria discuntur: deũ uidelicet summũ esse bonũ: qua ad cœlos uia pateat: quanta sit humana miseria et stultitia. Docet enim quàm difficulter diuites regnũ dei ingrediãtur. Post hæc disserit de præmio uirtutum modestiaq; eorũ qui præmia accipiũt. Mox suis inculcat passionis suæ mysterium. Ibidem innotescit in Cap. 10.

petitione Iacobi & Ioannis, quàm insolescat caro. Nam hi duo petunt sibi dari à domino primatũ in regno Christi: quos tamen sic compescit ut alijs quoq; eximat ambitionem & inuidiam, inserat autem modestiam & humilitatem. Sicut & in historia Bartimæi fidem inculcat.

Cap. 11. Post hæc urbem Hierosolymorum regia ingrediens pompa, ostendit se esse uerum & expectatũ Meßiam, regem & sacerdotẽ populi dei. Iccirco pro officio suo eijcit è templo ementes & uendentes. Execratur mox ficum, in quo adumbrat tristia Hierosolymorum fata, atq; rursus docet fidem. Opponunt se illi pharisæi & primates Iudæorum, & interrogant qua authoritate id faciat quod facit? quos oppositа quæstione retundit uelidißime. Postremo annunciat ipsis iudicium dei, excidium uidelicet & reiectionem, quam sua culpa nulla dei morositate sint passuri.

Cap. 12.

LIBER V.

RESPONDET porrò dominus mira cum modestate ad quæstiones aliquot opidò utiles & necessarias. Principio enim disserit de magistratu, iubens ei quod debemus pendere. Deinde refutans Sadducæos, Valentinianorum & Marcionitarum patriarchas, asserit resurrectionẽ mortuorũ, uitamq; futuri sæculi. Postea

disputat

disputat perspicue de scopo & argumento totius scripturæ siue legis diuinæ. Præterea ipsis quoq; aduersarijs suis quæstionẽ proponit, qua demõstrat se esse Messiam uerũ, naturæ geminæ, uerũ utiq; deũ & hominẽ.

Cæterũ cum aduersarij, sacerdotes inquã & scribæ, nulla ueritatis perspicuitate & euidentia mouerentur, sed sui similes perpetuò pergerent plebem & seducere corruptis traditionibus & inexplebili habendi cupiditate deglubere, admonet plebem dominus, ac præcipit ut caueant ipsorũ doctrinam. Adhæc multa & magna ipsis impingit scelera, inter alia uero auaritiã & sacrilegia. Ne quis tamen frustra facultates ad conseruationem rerum ecclesiasticarũ conferri putaret, ualde commendat cuiusdam uiduæ donum gazophylatio illatum. Postremo omnium, prædicit imò pingit excidiũ & ruinam templi Hierosolymorũ splendidissimi, urbis antiquissimæ & orbis uniuersi. Adijcit & signa calamitatesq; quæ præcessuræ sint, significatrices inexplicabilium malorũ. Et quoniã seruare nõ perdere cupit genus mortaliũ dominus, hortatur omnes ad preces & uigiliã. Cap. 13.

LIBER VI.

DESCENDIT iam Marcus ad absolutam salutis nostræ perfectionem, nempe ad salutaris sa- Cap. 14.

crificij et redemptionis noſtræ per mortem Chriſti, de-
ſcriptionem, in qua primũ recenſet cauſſas mortis, quod
uidelicet attinet aduerſarios Chriſti, ſacerdotes inquam
& Iudam proditorem, qui cæcatus auaritia & inuidia
uendidit uiliſsimo pretio dominum. Deinde commemo-
rat extremam illam cœnam, in qua dominus acriter Iu-
dæ flagitium protrahens accuſat, ac ſacramentũ & me-
moraculum noſtræ redemptionis inſtituit. Inde egredi-
tur in montem oliuarum, in itinere diſſerit de graui illo
offendiculo, quo collapſuri ſint diſcipuli, Petrus in pri-
mis. In monte uero ſuppliciter orat patrem, diſcipulos
autem dormitantes excitat. Interim accelerat cum co-
horte ſicariorum Iudas, oſculoq; tradit dominum, qui
protinus à ſcelerũ miniſtris capitur. In ea turba Petrus,
exempto gladio, pugnat, nequicquam. At dominus uim
iniuſtam hoſtium grauiter increpat. Sed abducitur uin-
ctus ad ſummum pontificem. Pontifex protinus cogit
conſilium ſeniorum ſacerdotumq; contra dominum. In
eo inquiruntur falſi teſtes in exitium Chriſti, ſed fruſtra.
Conſurgens autẽ ſummus pontifex, mortis cauſſam que-
ſtione ex Chriſto elicere cupit, ac rogat, num ipſe ſit de-
lius Meſsias uerus? Quo annuente confirmanteq;, ſen-
tur in ipſum protinus à toto conſilio ſententia capita-
lis. Interea uero negat dominũ Petrus in atrio pontificis.

Cap. 15. Diluculo facto abducitur Ieſus ad Pilatũ præſidem.

At

At hic tentat experiturq; uaria, si eum quem innoxium esse intelligebat, liberare posset. Verũ improbis populi uictus clamoribus, flagellatum Iesum tradit militibus crucifigendum. Abducitur ergo in locum caluariæ, ubi inter duos latrones medius crucifigitur, uariaq; & tormenta & ludibria expertus, tandem expirat. Aeduntur mox stupenda prodigia, quibus permotus Centurio, pronunciat Christum esse filium dei. Ad uesperam uero eius dici sepelitur decentissime à Iosepho uiro honesto & pio. Cæterum tertia die resurgit ex mortuis, morte calcata. Id quod significantissime mulieribus ad sepulchrum uenientibus exponitur ab angelo.

Postea Marcus historiã suam de Christo cœptam breuibus absoluturus, colligit attexitq; certa quædã argumenta seu euidentia testimonia, quibus approbet dominum uere resurrexisse ex mortuis. Postremo autem omnium exponit tria maxima religionis nostræ capita, ultimum uidelicet cõmissum domini, quo œconomiam ordinauit ecclesiasticam. Deinde Ascensionem domini in cœlos. Hinc fidem apostolorũ domini exactissimam & successum felicem. Ita enim singula exequuti sunt uti mandarat dominus, ac dominus cooperatus est ipsis, ut sanctissima mox in orbe emerserit ecclesia. Cap. 16.

HAEC autem tradidit hucusq; optimæ imò indubitatæ fidei testis diuus Marcus de domino nostro Iesu

Christo uero deo & homine, unico rege, sacerdote, &
seruatore nostro, quæ scilicet dixerit & fecerit dum di
spensationis diuinæ negotium ab æterno decretum, ob
soluit. Nostrũ fuerit, implorato dei auxilio, omnem spe
nostram in illum figere, qui datus est nobis ad salutem,
& qui annunciatur nobis ad lucẽ uitæ sanctæ & æter
næ. Faxit hic rex & pontifex noster, ut in ipso uiuamus
æternum. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

DISPOSITIONIS ET PERIOCHES HISTORIAE EVANGELICAE SECVNDVM LVCAM, LIBER I.

Lucas medicus.

EDidit Lucas duo de rebus Christi et Eccle
siæ eius uolumina, de quibus Eusebius in
historia ecclesiastica, Lucas secundum me
dicinam, inquit, quam ex apostolorum uel societate ac
traditione susceperat, duos nobis medicinales libros, qui
bus non corpora sed animæ curentur, explicuit, Euange
lium scilicet, in quo etiam sic præfatur, Sicut tradiderũt
nobis, inquit, qui ab initio ipsi uiderũt, & ministri fue
runt uerbi dei, quos & ab initio secutus sum: & Actus
apostolorum, quos iam non auditu perceperat, sed ocu
lis

lis inſpexerat. Si enim inſpicias librum Actuum apoſtolorum, inuenies à 16. cap. Lucam ſe ubiq; annumerare ac immiſcere rebus geſtis apoſtoli Pauli, idq; in finem uſq; libri. Duobus ergo his libris deſcripſit diligentiſſime & pleniſſime res Chriſti & eccleſiæ Chriſtianæ, per annos circiter 60. Nã à 42. Auguſti anno, in quo Chriſtus dominus ex Maria uirgine natus eſt, ad 18. Tiberij, in quo Chriſtus cruci affixus eſt, numerantur anni 33. Auguſtus enim poſt natum dominum imperauit annis 15. At à 18. anno Tiberij ad 4. uſq; Neronis, ſupputantur anni 28. In hac autem 60. annorum deſcriptione, propoſita eſt, haud dubie, perfectiſſima facies & abſolutiſſimum exemplũ doctrinæ ueræ Chriſtianæ, & Eccleſiæ orthodoxæ, ſponſæ Chriſti electæ, ut alijs legib. doctrinis & formulis, extra aut contra has, nihil opus ſit eccleſiæ Chriſti catholicæ.

Plena hiſtoria rerum Chriſti & eccleſiæ.

Præfatione operi euangelico præfixa, cauſſas expo Cap. 1.
nit quæ ipſum ad ſcribendum impulerunt, ſed & ſummam totius inſtituti proponit. Deinde hiſtoriam contexere incipit, auſpicans eam à natalibus præambulonis Meſſiæ. Ergo parentes Ioannis Baptiſtæ diligenter deſcribit, in primis quomodo patri per Gabrielem & conceptio & officium filij ſint expoſita. Quibus cum nõ crederet pater, euenit ut ipſe, in diffidentiæ pœnam, mutus fieret, & mater nihilominus deo quod promiſe-

Ioan. bapt. & Chriſti incarnatio.

rat ſeruante conciperet. Cæterũ poſt deſcriptam præcurſoris conceptionẽ, deſcendit ad deſcribendam ipſius quoq; Meßiæ incarnationẽ. Poſt notationem ergo temporis genus & conditionem matris deſignat, quod uirgo fuerit intemerata, Dauidici generis: ad quam idem ille Gabriel æterni dei nuncius deſcenderit cœlitus, annunciaritq; ſic uiſum eſſe æterno numini, ut ipſa mater fiat Meßiæ: ſimul autem exponit quis & quantus hic fœtus ſit futurus. Cumq; uirgo nondum plene negotiũ, certe arduum, intelligeret, exponitur ei ab angelo uniuerſa ratio et modus incarnationis, quod conceptura ſit è ſpiritu ſancto & æditura ipſum dei filium. Confirmatur item Eliſabetæ exemplo. Quibus uerbis cum credit, concipit. Mox uero ad Eliſabetam properat, & diuinum cum ipſa miſcet colloquiũ. In eo colloquio reuelatur incarnatio filij dei, laudaturq; diuina ueritas, miſericordia & potentia, maxime in panegyrico ſeu gratulatorio hymno uirginis Mariæ. Porrò Eliſabet parit filium, cui nonen inditur Ioannes. Patri hactenus muto propter incredulitatẽ, iam redditur uſus linguæ, quã & in laudes dei protinus laxat. Canit enim & hic carmen panegyricũ, quo laudat dei ueritatẽ in promißis, bonitatẽ & iuſtitiã in factis. Deinde uaticinatur quædã de officio filij ſui, beneficijſq; orbi per Chriſtum exhibendis.

Cap. 2. Quibus abſolutis, Lucas hiſtoriã de Ioanne abrumpit,

pit,et ad Christi natiuitatẽ describendã accelerat. Indicat ergo tẽpus,& locũ natiuitatis domini describit,& modũ eiusdẽ. Rursus autẽ apparet angelus,et natiuitatẽ Meßiæ annũciat pastoribus,fructũq; his natiuitatis exponit. Quo in loco mira cũ gratulatione confluit totus cœlestis exercitus,carmen natalitiũ nouo regi nato concinens. Pastores uero religiose puerũ natum,uti iußi fuerant,inquirũt,inueniũt,mirantur,& omnibus magnalia dei annunciant. Cæterũ puer octaua die circuncidi-tur,& accipit nomen IESVS. Deinde et domino pro more primogenitorũ in tẽplo Hierosolymitano sistitur. Vbi ex diuina ordinatione comparet Simeon ille iustus, qui infantulũ excipit in ulnas,gratulatur,gratulandoq; quanta nobis in filio pater dederit exponit: simul & de cruce illius,& quod multi per incredulitatẽ in ipsum impacturi sint, prophetat. Adest & Anna uidua uitæ laudatißimæ, quæ & ipsa gratias agit deo, & laudat ingens patris in filio exhibito beneficium. Post ea Lucas paucis attingit Christi domini puerilem ætatem,adolescentiam & iuuentutẽ. Nam exponit quomodo duodecim annos natus, in templo inter doctos à parentibus anxie quæsitus,repertus sit,ita de rebus religionis maximis disputans, ut omnibus fuerit miraculo. Quibus adijcit quod disputatione relicta parentibus fuerit subditus: his ueluti speciminibus spectatißimis æsti-

Natiuitas & reuelatio Christi.

mandum relinquẽs, qualis fuerit tota ipsius adolescentia atq; iuuentus. Sic autẽ miro compendio complexus est Lucas quicquid utile & necessariũ scitu creditúq; uidetur de natalibus Christi, eius pueritia, adolescentia & iuuentute.

LIBER II.

Cap. 3.

PRAELVSVM est euangelico negotio duobus præcedentibus capitibus: nunc enim tradit Lucas euangelij initium, progressum & successum admirandũ, quo tempore & loco, per quem & quomodo ipse Christus & euangelium eius palàm sint annunciata, à Ioanne uidelicet Baptista, qui magna in frequentia hominũ baptizauit atq; docuit. Exhibet autem specimina quædam prædicationis S. Ioannis, quid in genere omnes docuerit, quid quosdam singulariter, quid deniq; docuerit, & quæ testificatus sit de Christo: postremo annotat quod propter ueritatis præconium coniectus sit ab Herode rege in uincula. Quibus breuiter quidẽ (sed quantum satis erat pio Lectori) perstrictis, transit ad res ipsius saluatoris nostri domini Iesu Christi, cuius præcursor erat Ioannes, describendas: ac mox ab initio docet quis sit, & quanta ab ipso habeamus, quomodo unctus & inauguratus sit rex & sacerdos populi dei, à patre, quod uidelicet unctus sit spiritu sancto, quod sit dei & hominis

Euangeliũ prædicatur.

hominis filius, quo nomine genealogiam eius ad Adamũ usq; producit.

Porrò inauguratus functioni & regno sacerdotioq; dominus noster, pro officio suo incipit iam operari salutem nostram, ac in primis aggressus satanam difficili quidem certamine uincit, tandem & in fugam conuertit. Victor autem prodit & euangelium regni & liberationis annunciat per uniuersam Galilæam. Prædicationis eius specimen egregium, concionem uidelicet habitam in ciuitate Nazareth diligenter descriptam reliquit. Cæterũ cum salutaris eius doctrina minime ut decuisset exciperetur à ciuibus Nazarethanis, relictis ipsis, contulit se ad famigeratam urbem Capernaum, ubi iterum docet. Doctrinæ autem coniungebat facta quædam stupenda, quibus quod docebat approbabat, se esse saluatorem mundi. Ergo liberat dæmoniacum pulso dæmonio: socrum Petri febricitantem restituit, omnis deniq; generis morbos curat. Cap. 4.

Interim uero strenue euangeliũ prædicat: quod cum in ecclesia perpetuò annunciari uult, deligit sibi testes aliquot, quos ad se miraculo ædito attrahit. Rursus autem operibus declarat se esse mundi saluatorem. Leprosum enim mundat: paralyticum sanat, in quo etiam declarat se peccata remittere hominibus. Ergo & publicanum insignem, Leui, uocat, & iustificat, iustificatum Cap. 5.

autem & semetipsum defendit à calumnijs hostiũ. Vbi cõmodum adiungit disputationes aliquot de ieiunio & precibus, de idoneis & nõ idoneis auditoribus euangelij, deq; sabbato & ferijs, quibus errores & abusus redarguit, ueram autem doctrinam restituens asserit.

LIBER III.

Cap. 6.

INNOTVIT hucusq; discipulis suis dominus & redemptor noster Christus, ad hoc peculiariter uocatis, ut erudirentur & magistri fierent omniũ in terrarum orbem, his adiungit iam & alios quosdam quos omnes consecrans iubet esse apostolos, id est legatos, quos aliquando mittat in mundum. At priusquam eos dimittat, plenius & familiarius instituit. Declarat enim eis rursus quis sit, quid possit, delineans præterea quod genus doctrinæ sequantur. Nam factis prodit uirtutem diuinam: sermonibus tradit quæ sit uera doctrina, quæ uera felicitas uel infelicitas, quæ sint officia pietatis fidelium, & quod perfectissimam iustitiam exigat à suis dominus. Lucas enim consignat integrum sermonem domini habitum in frequenti hominum turba & in corona discipulorum. Quo sermone inter alia diligenter monet dominus ut caueamus nobis à pseudodoctoribus, de quibus non indiligenter disserit, in fine sermonis subiungens

Instituũtur apostoli.

iungens nõ ſatis eſſe audire uerbum dei, niſi factis pijs, id quod uerbo didicimus, exprimamus.

Sermoni huic domini adiungit rurſus Lucas facta Cap. 7. quibus ſaluificam ſuam uirtutem exerit dominus. Reſtituit enim Centurionis ſeruũ. Excitat deinde ex mortuis filium cuiuſdam Naimiticæ uiduæ, ea re demonſtrans ſe eſſe uitæ & mortis dominũ. Adſunt et diſcipuli Ioannis, ac domino quæſtionem proponunt: cuius occaſione declarat ſe eſſe illum expectatũ Meſſiam. Deinde & Ioannem laudibus extollit ampliſſimis, quo plures commoueret ad credendum illius teſtimonio, qui conſtanter teſtificatus fuerat Ieſum eſſe Chriſtum. Poſtremo grauiſſime increpat phariſæorũ incredulitatem, qua fieri oſtendit, ut ipſi pereant uitio et culpa propria. Mox adijcit paradigma, quo colliqueſcat quomodo phariſæi ſibijpſis nimiũ fidentes Chriſtum reſpuant, peccatores autẽ credentes eundẽ recipiant, inducitúrq; peccatrix, cui reclamantibus multũ phariſæis gratuito remittũtur peccata.

His ad eum modum expoſitis, inducit rurſus Lucas Cap. 8. dominũ docentẽ, & populũ turba confertiſſima irruentem, quæ re occaſionem præbent docendi parabola, quæ ſit natura uerbi dei, quæ auditorum diuerſitas, quodq; non approbet auditores quoslibet, ſed fructificantes duntaxat. Illis ſubijcitur deſcriptio tempeſtatis & quomodo diſcipulis perturbatiſſimis tranquillitas reddita

ſit à domino, qui hic quoq; ut aliàs ſæpe declarat ſe tem
peſtatum potentem ſatanæq; eſſe uictorem. Nam nullis
armis, ſed uerbo ſolo totam diabolorum legionem fundit
& fugat. Adhæc ſanat mulierem quandam profluuio
ſanguinis irreparabiliter laborantẽ, ac excitat ex mor
tuis Iairi filiam.

Ezy. 9. His omnibus in uera fide & pietate erudit fidelium
mentes, diſcipulorũ ſuorum in primis, quos aliquandiu
iam inſtitutos tandem etiam ablegat ad munus prædi
candi, datis nonnullis præceptis peculiaribus quomodo
ſe gerant præſcribentibus. Redeuntes uero re ſatis fe
liciter peracta excipit peramice dominus, eoſdem iam
amplius inſtituẽs, quo & rebus paret maioribus & con
firmatiores reddat in uero. Epulũ itaq; exhibet turbæ.
Interrogat quem ſe eſſe dicant turbæ, & quid de ipſo
ſentiant diſcipuli: ubi ſe ueræ fidei confeſſio aperit. Ibi
dem docet ſui abnegationem: ac transformatur in ocu
lis delectorum diſcipulorum. Iterum uero rebellantem
& ſæuiſſime furentem ſathanam uincit & fugat. Diſſe
rit de paſſione & morte ſua: mox & humilitatem atq;
modeſtiã diligentiſſime inculcat diſcipulis, ambitionẽ &
ſuperbiam radicitus extirpat. Vbi etiã docet neminem
contemnendum aut reijciendũ eſſe, qui non aliquo modo
gloriã Chriſti promouet. Hoc autẽ modo erudiuit quos
deſtinauit orbi dare doctores, & in his totam eccleſiã.

Lib.

LIBER IIII.

SATIS copioſe & dilucide enarrauit hucuſq; beatus Lucas quæ dixerit & fecerit dominus in Galilæa, exponet porrò profectionem domini è Galilæa ad Hieroſolymorũ fatalem urbem, quid euenerit in itinere, quid docuerit & quæ fecerit admiranda & memorabilia. Ac initio quidem profectionis Samaritani hoſpitiũ negant domino, diſcipuli uero inhumanitatem illorum punitam cupientes, audiunt à domino præpoſtero eos inardeſcere zelo. Deinde alium quendam amicitiam domino offerentem repellit dominus: mox uocatis duobus docet quomodo recipi uelit, & quomodo ipſum ſequi oporteat. Porrò ut ſalutare euangelij negotium innoteſceret pluribus, deligit ſibi plures diſcipulos. Nam duodecim illis adiungit adhuc alios ſeptuaginta. Hos præmittebat binos in omnem locum in quem ipſe erat uenturus. His tradit præcepta quædam, & eo modo rurſus agere incipit de doctoribus & doctrina euangelica. Diſcipuli fideliter exequuntur mandata, redeunteſq; quàm feliciter ceſſerit res exponunt domino. Hic oſtendit euangelica prædicatione deſtrui regnum diaboli: docet ſuos humilitatem ne efferantur ob res felicius geſtas: mox etiam indicat qui capaces ſint uerbi euangelici, & quare uni Chriſto euãgelica prædicatione omnia

Cap. 10.

Miniſtri Euangeliſ.

sit à domino, qui hic quoq; ut aliàs sæpe declarat se tem pestatum potentem satanæq; esse uictorem. Nam nullis armis, sed uerbo solo totam diabolorum legionem fundit & fugat. Adhæc sanat mulierem quandam profluuio sanguinis irreparabiliter laborantẽ, ac excitat ex mor tuis Iairi filiam.

Cap. 9. His omnibus in uera fide & pietate erudit fidelium mentes, discipulorũ suorum in primis, quos aliquandiu iam institutos tandem etiam ablegat ad munus prædi candi, datis nonnullis præceptis peculiaribus quomodo se gerant præscribentibus. Redeuntes uero re satis fe liciter peracta excipit peramice dominus, eosdem iam amplius instituẽs, quo & rebus paret maioribus & con firmatiores reddat in uero. Epulũ itaq; exhibet turbæ. Interrogat quem se esse dicant turbæ, & quid de ipso sentiant discipuli: ubi se ueræ fidei confessio aperit. Ibi dem docet sui abnegationem: ac transformatur in ocu lis delectorum discipulorum. Iterum uero rebellantem & sæuissime furentem sathanam uincit & fugat. Disse rit de passione & morte sua: mox & humilitatem atq; modestiã diligentissime inculcat discipulis, ambitionẽ & superbiam radicitus extirpat. Vbi etiã docet neminem contemnendum aut reijciendũ esse, qui non aliquo modo gloriã Christi promouet. Hoc autẽ modo erudiuit quos destinauit orbi dare doctores, & in his totam ecclesiã.

Lib.

LIBER IIII.

SATIS copioſe & dilucide enarrauit hucuſq; beatus Lucas quæ dixerit & fecerit dominus in Galilæa, exponet porrò profectionem domini é Galilæa ad Hieroſolymorũ fatalem urbem, quid euenerit in itinere, quid docuerit & quæ fecerit admiranda & memorabilia. Ac initio quidem profectionis Samaritani hoſpitiũ negant domino, diſcipuli uero inhumanitatem illorum punitam cupientes, audiunt à domino præpoſtero eos inardeſcere zelo. Deinde alium quendam amicitiam domino offerentem repellit dominus: mox uocatis duobus docet quomodo recipi uelit, & quomodo ipſum ſequi oporteat. Porrò ut ſalutare euangelij negotium innoteſceret pluribus, deligit ſibi plures diſcipulos. Nam duodecim illis adiungit adhuc alios ſeptuaginta. Hos præmittebat binos in omnem locum in quem ipſe erat uenturus. His tradit præcepta quædam, & eo modo rurſus agere incipit de doctoribus & doctrina euangelica. Diſcipuli fideliter exequuntur mandata, redeunteſq; quàm feliciter ceſſerit res exponunt domino. Hic oſtendit euangelica prædicatione deſtrui regnum diaboli: docet ſuos humilitatem ne efferantur ob res felicius geſtas: mox etiam indicat qui capaces ſint uerbi euangelici, & quare uni Chriſto euãgelica prædicatione omnia

Cap. 10.

Miniſtri Euangeliſ.

tribuantur, quanta item sit eorum felicitas qui credunt euangelio Christi. Commodum uero à quodam rogatus legisperito quid faciendo uitam æternam consequatur, diserte docet quæ sit syncera doctrina, unicus & certus scripturæ scopus, quæ uera prædicatio ueritatis quam ecclesiæ tradat doctor euangelicus, ubi in primis Dilectionem proximi inculcat parabola cæsi à latronibus producta, & officijs Martæ commendatis, quibus interim præfert fidem Mariæ.

Cap. 11. Et quoniam proximũ prædicationi uerbi & quasi cohærens est oratio in ecclesia, ideo & de ipsa fuse & diligenter disserit. Mox eiecto & superato satana, declarat quod ex euangelicis capitibus præcipuum est, se uenisse in mundũ ut superet diabolum & opera eius destruat: & quod omnia faciat & dicat, nõ arte magica instructus aut satanæ uiribus impulsus, sed uirtute dei, cum sit filius dei et Messias uerus. Rursus uero conuertitur ad cõmendationem prædicationis euangelicæ, ubi neglectum & contemptum uerbi dei incredulitatemq; Iudæorũ accusat grauissime. Præterea demonstrat quid sit uerbum dei, cur reuelatũ hominibus, quanta sit eius dignitas, utilitas atq; necessitas. Quibus ex opposito obijcitur falsa doctrina, obiurganturq; à domino pharisæi & pseudodoctores acerbissime, quorum doctrinam tandem cauere iubet diligentissime.

Quia

Quia aũt id ſine odio mũdi nõ poteſt fieri, hortatur hic quoq; ſuos ad fortitudinẽ atq; conſtantiã ne ſibi metuant, ſed intrepide agant & ueritatẽ libere confiteantur. Impedit uero & turbat ſyncerã religionẽ affectus cupiditatis, & auaritia præcipue, dominus ergo multa adducens cõtra auaritiã, docet quemlibet ſua eſſe ſorte contentũ: inculcat uigiliã animiq; ſobrietatẽ, omnibus quidẽ, ſed apoſtolis præſertim, quibus & propoſita parabola ſuũ rurſus officiũ adumbrat, addens iterũ quis ſit effectus uerbi dei, & admonẽs ne cõtemnamus ſigna ſalutis noſtræ, ſed recipiamus hanc animis promptiſſimis. Cap. 12.

LIBER V.

PRAECEDENTE libro diſſeruit dominus, narrante hiſtorico Luca, multa de euangelio euangelijq; præconibus. Euangeliũ uero Pœnitentia et Remiſſione peccatorum ceu partibus abſoluitur, ſequitur itaq; ſaluberrima doctrina de Pœnitentia & Remiſſione peccatorum. Ad pœnitentiam adhortatur exemplis & parabola quadam arboris fici, docens quid eueniat impœnitẽtibus, et qui ſint fructus pœnitentiæ ueræ, qui putres falſæ: oſtendit præterea unde ſit uirtus efficiendi fructus pœnitentiæ ac bona opera. Mox adhortatur omnes, ut conemur ingredi per uiam arctã et difficilem Cap. 13.

De Pœnitentia & Remiſſione peccatorũ.

quæ ducit ad uitam. De biuio enim illo celeberrimo d
ſputat rurſus, nonnihil adferens de pœna impœnite
tium, deq; iudiciorum dei æquitate, perdentis incura
les, quos nulla fides & diligentia potuit ſanare.

Cap. 14. Deinde eximit pietatis ſtudioſis errores et uitia d
quot non leuia, informatq; officia pietatis. Nam exim
rurſus errorem de religione ſabbati. Deprimit faſtu
ſupercilium Phariſaicũ, modeſtam humilitatem inſe
ſed & beneficentiam docet. Hinc accepta occaſione
exclamatione cuiuſdam conuiuæ pronunciantis beat
eſſe qui comedat panem in regno dei, adhortatur om
ad fidem, ne incredulitate indignos ſe præbeant reg
dei: ubi etiam conſilium dei de ſaluando mundo exp
nit dominus, id quod à quibuſdam ait uilipendi ſtud
rerum præſentium, quibus etiam pœnam denuncia
hæc quidem dixit de impedientibus dei uocationem:
oppoſito opponit doctrinam quomodo oporteat uoca
tem ſequi dominum, & eius uocationi obedire: hoc
quales eſſe diſcipulos domini, & quid ſibi ex euangel
polliceri oporteat.

Cap. 15. His adnectit parabolas aliquot uenuſtiſſimas, quib
rurſus declarat rationem ueræ pœnitentiæ, ſed & ra
tionem remiſſionis peccatorũ in primis, gratiæ inquam
miſericordiæq; dei immenſæ, perſtringens ubiq; ſuper
Cap. 16. cilium & hypocriſim iuſtitiariorum. Poſt ea copioſ
diſſeri

disserit de officijs fidelium, de charitate inquam in proximos et beneficentia, deniq; de contemptu rerum terrenarum contra auaritiã pro misericordia, deq; usu & abusu rerũ terrenarũ. Et hæc quidem omnia adumbrat, & oculis quasi contemplanda proponit in parabolis œconomi perfidi, et diuitis epulonis ac Lazari mendici.

LIBER VI.

SVNT nõ pauci homines impij quibus fabulæ uidentur quæcunq; prædicantur de cœlo & inferis, ij deinceps nõ paucos uenenatis & blasphemis linguis suis inficiũt. Dominus ergo consequenter ostendit quàm grauis sit coram deo offensio. Rursus docet condonare delicta si qua in te fuerint commissa. Quod cum citra fidei beneficium fieri non possit, salutaris protinus de fide doctrina subiungitur. Quibus mox adiungit doctrinam de eo ne quid nobis arrogemus, sed omnem gloriã tribuamus domino: qui solus purgat nos, & uires suffi cit efficiendi bona opera, quo nomine magnas ipsi gratias debemus. Id quod in historia decem leprosorũ mundatorum quasi oculis cernendum subiecit. Cap. 17. Offendiculum.

Iam quoniam in tota hac historia frequentissimã mẽtio facta est regni dei, significantius de eo disseritur. Deinde adiungitur quid passuri sint qui nolunt credere uenisse regnum dei. Rursus exponitur quæ futuræ sint

in orbe ad finem usq; sæculi turbæ calamitatesq;, et quo
Cap. 18. modo se in ijs gerant fideles. Vbi uehementer suos ad
hortatur ad preces pertinaciſſimas, pollicens etiã deum
suos uindicaturũ Et quoniã plures erant qui in seipsis
confidebant, proponit parabolam pharisæi et publicani
ascendentium in templum, & docet quæ sit uera iusti
tia, & quomodo iustificentur homines. Quibus expo
sitis erudit quid de salute infantium sentiamus: qui
quisq; boni faciat ut regnum dei possideat: quàm difficulter diuites ingrediantur in regnum dei: quid præ
paratum sit relinquentibus propter dominum facul
tes huius sæculi. Indicat ibidem suis dominus quid ip
sit passurus.

Cap. 19. Sequitur deinceps cæci illuminati historia, & Zachæi illius nobilis publicani uocatio & receptio in gratiam Christi: quibus erudimur quomodo omnes homines illuminentur, recipiantur in gratiam, ac iustificentur, & quid iustificati operentur, aut quomodo erga deum & erga proximos se gerant.

LIBER VII.

Christus rex & sacerdos. EXERCVIT munia sacerdotalia dominus noster Iesus toto tempore dispensationis suæ, præcipue tamen ultimis illis diebus quibus salutem nostram

moriendo & resurgendo plene absoluit. Proinde quo propius accedit ad urbem, eo significantius declarat se regem esse & pontificem populi dei, muniaq; sacerdotis & regis perficit. Ac initio cum inter suos etiam nonnulli essent, qui arbitrabantur regnum Christi fore terrenum, & iamiam idipsum exoriturum, eximit eum errorem dominus, ac parabola docet quale nam regnū illud Christi, et quando sit futurū. Mox in urbem asina insidens inuectus, glorioso, sed humili illo suo aduentu declarat se esse regem illum expectatum populi dei. Priusquam tamen ingrediatur deflet cæcæ urbis fata, calamitatesq;, quas significātissime prædicit, caussamq; calamitatum subijcit. Et quoniam regis est collapsa restituere, & deprauata resecare, templum ingressus, eijcit ementes & uendentes, ipse uero in templo concionatur quotidie.

Rogatus à sacerdotibus à quo sit inauguratus rex & sacerdos, ostendit omnem se cœlitus à deo authoritatem habere. Porrò rebelles grauissime increpat parabola uineæ & colonorum inducta, interim excidium, quod ipsis propter rebellionem imminebat, abumbrans. Deniq; quando sacerdotis sit docere populū dei & contradicentes reuincere, subijcit Lucas disputationes & colloquia aliquot domini habita cū aduersarijs. Primo docetur quid deo, quid magistratui debeamus. Secundo Cap. 20.

differitur de Spe sanctorum, de Resurrectione mortuorum, & qualis sit uita in futuro sæculo. Tertio ostenditur quid unice spectandum sit in omnibus scripturis, Christus uidelicet uerus deus & homo saluator mundi. Quibus absolutis pingit dominus pro munere sacerdotali pseudosacerdotes, à quorum corruptela admonet suos diligenter sibi caueant. Mox approbat uiduæ do-

Cap. 21. num gazophylatio illatum in templo. Vbi occasionem sumit copiosissime differendi de excidio urbis & gentis Iudaicæ. Ab eo excidio defertur ad interitum quoq; totius orbis finemq; mundi, deniq; ad signa proxime extremũ diem præcedentia, definienda seu designanda. Vbi fideles diligentissime adhortatur ad uigiliam & sobrietatẽ, ne inopinato casu cum infidelibus opprimantur & pereant.

LIBER VIII.

Cap. 22. PERFECIT hactenus omnia ad hostiam usq; cædendam offerendamq; sacerdotalia munia dominus, restabat ergo expiatorium modo sacrificium perfi-

Sacrificiũ Christi. ciendum: proinde Lucas per consequentia passionem & mortem domini, quæ unica & salutaris est semel pro peccatis totius mũdi oblata uictima, describet. Et initio designat tempus, deinde commemorat mortis caussas:

hinc

hinc attingit quomodo celebrarit paſcha: cui ſubijcit memorabilem Cœnæ myſticæ inſtitutionem. Addit quæ loquutus ſit dominus de proditore ſuo: quomodo compoſuerit contentionem diſcipulorum, de eo exortam, quis ipſorum maximus uideatur in regno dei. Prædicit ſtudium diaboli contra diſcipulos omnes, præſertim autem contra Petrum negatorem. Mox præcipit gladios ſibi cõparent: aſſumptiſq; diſcipulis exit cum delectis in montem oliuarum. Hic ſupplicat patri ardentiſſime. Ibi corripitur agone, qui ipſi ſanguineum exprimit ſudorem. Conſolationem accipit ab angelo. Deinde uero capitur & uincitur à potificũ miniſtris: quod cum Petrus prohibere uellet, amputauit ſeruo pontificis auriculam: ſed dominus ſaucium curauit, & capientes acerrime obiurgauit. Porrò captus ducitur in urbem, & ſiſtitur pontifici. Tunc fœde dominũ abnegauit Petrus, nec ſemel. Miniſtri uero pontificum ſcelerumq; per integram ferè noctem d mino illudunt eumq; tractant indigniſſime. Diluculo damnatur à ſaccrdotum & primorum Hieroſolymitanorum ſenatu dominus.

Damnatus traditur Pilato, propoſitis ſimul aliquot accuſationis capitibus. Pilatus uolens gratificari Herodi ad hunc ablegat dominum. At ille egregie illuſum & candida ueſte indutum, remiſit Pilato. Hic poſt multam altercationem cum Iudæis habitam & poſt dimiſſum Cap. 23.

Barabbam, tradidit Christum scelerum ministris crucifigendum. Protinus ergo ipse crucem baiulans, & pone sequente quodam Simone et crucem eandem sustinente, ducitur innoxius. Deflent illius casum acerbissimum religiosæ aliquot mulierculæ. Cæterum dominus ea occasione oblata iubet propriam defleant calamitatẽ, quam urbi & genti euenturam prædicit. Venit interim in locum supplicij, ubi medius inter duos latrones crucifixus exaltatur. Ibi primũ orat, deinde multa sustinens opprobria, patienter perfert omnia. Inter alia alterum ex latronibus supplicantem recipit in consortium & participatum uitæ æternæ, eo exemplo declarans quanta sit uis semel oblatæ uictimæ. Sequuntur hinc prodigia quædam testificantia filium dei pati. Dominus autem tradens spiritum deo patri expirat in cruce. Centurio autem militum Rom. prodigijs commotus & Christi patientia & morte affectus, testatur ipsum esse iustum. Vident hæc omnia familiares domini, diuina haud dubie prouidentia sic moderante, ut essent oculati testes, rebus tantis adhibiti. Postremo adit Pilatum Iosephus senator urbis clarissimus, poscitq; corpus domini ad sepulturã: quod cum accepisset deposuissetq; à stipite, sepulchro intulit conditq; glorioſe. Id quod mulieres aliquot spectantes obseruarunt, ut corpus postridie uenientes ungerent.

LIB

LIBER IX.

EXPIATO peccato, deuictuſq; inferis, ſuperata deniq; morte, rediuiuus è ſepulchro et ex mortuis, tertia die reſurgit uictor & triumphator dominus, rex & pontifex noſter Ieſus Chriſtus. Et quoniam in uiuifica domini noſtri Ieſu reſurrectione ſpei & uitæ noſtræ cardo uoluitur, demonſtratur illa euidentibus ſignis & argumentis. Ac primum quidem declaratur reſurrectio domini ab ipſis dei angelis quibuſdam religioſis mulierculis, quæ uenerant corpus domini Ieſu unctum. Eadem mox Petro ſignis quibuſdã innoteſcit. Proficiſcentibus deinde Emmauntem diſcipulis duobus, coniungit ſe his dominus ſub ſpecie peregrini, ac iſtis clariſſime cum ex ſcripturis tum re ipſa demonſtrat quod reſurrexerit ex mortuis. Poſtremo prodit in medium diſcipulorum dominus, & ad oculum oſtendit ueram & rediuiuam ſuam reſurrectionem. Confirmat deinde mentes illorum ſcripturis. Reſurrectio domini. Cap. 24.

Iam ut omnes intelligeremus omnia Chriſti noſtra eſſe, mandata dat diſcipulis de prædicãdo omnibus gentibus Euangelio, ad quam rem perficiendam promittit eis ſpiritum ſanctum, quem in urbe Hieroſolymorũ expectent præcipit. Quibus peractis omnibus educit diſcipulos in montem Oliuarũ, inde aſcendit recta in cœlũ. Aſcenſio domini in cœlum.

Discipuli adorato ipso, in urbem expectaturi spiritum sanctum reuertuntur.

DESCRIPSIT hucusq; luculenta historia beatus Lucas incarnationẽ domini nostri IESV CHRISTI, prædicationem item, præcepta & instituta eius, miracula quoq; et beneficia eiusdem, passionem deinde, mortem & resurrectionẽ ex mortuis clarissimã, eiusq; rei demonstrationem euidentissimam, sed & ascensionem eius in cœlũ gloriosam. In cœlis modo regnat rex & pontifex uere summus, salus, plenitudo & caput ecclesiæ suæ. E cœlo uenturus est breui iudicaturus uiuos & mortuos. Hunc ergo expectamus cum gaudio liberatorem, oramusq; supplices, ut omnium misertus, omnes nos benigne ad se transferat, AMEN.

DISPOSITIONIS ET PERIOCHES HISTORIAE ACTVVM APOSTOLORVM SECVNDVM LVCAM, LIBER I.

ON diuellemus, interiecto S. Ioãnis Euangelio, libros beati Lucæ, quos ipse coniunxit. Sequitur modo post historiam euangelicam,

gelicam, historia rerum apostolicarum. Hæc uero historia quid aliud est quàm Euangelij pars, eaq; meo iudicio non minima? Siquidem illic describitur granũ frumenti solo conditum, hic describitur enatum ac suas paulatim aperiens ac proferens opes. Quod ni per Lucã cognouissemus, quibus modis Christus reliquerit terras, ubi, quo loco, quibus modis aduenerit promissus ille spiritus, quibus initijs cœperit ecclesia, quibus rebus polluerit, quibus creuerit rationibus, nónne bonam Euangelij partem ignorassemus? Recte itaq; Beda, Hic (inquit) non solum usq; ad resurrectionem assumptionemq; Domini perduxit narrationẽ, ut cæteri, uerum etiam deinceps quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credidit ad ædificandam fidem legentium seu audientium, ita scripsit, ut solus eius liber fide dignus haberetur in ecclesia de Apostolorũ actibus narrantis, reprobatis omnibus qui nõ ea fide qua oportuit, facta dictaq; Apostolorum scribere ausi sunt. Sed & Ioannes Chrysostomus mirantibus quî factum sit, ut Lucas historiam Apostolicam non omnem ad finem usq; sit persequutus, aut singulorum gesta singulis non descripserit libris, pulchre respondet, Hæc quidem sufficiebant his qui modo animum uolunt aduertere.

Cur nõ plura scripseris Lucas.

Audiemus enim in breui hac historia totam pietatis summam esse comprehensam. Audiemus quæ fuerit ec-

eleſiæ infantia, qui auctus, quæ eccleſiæ iuſtæ facie
quæ doctrina a. oſtolorum, qui ueteris eccleſiæ ritu
quæ ſtudia quæ religio, fides, doctrinaq; uera uel falſa
uetus uel noua, qui ueri uel falſi doctores, qualia utri
runq; ingenia, quæ artes, qui mores: item qualia ſæ
mundi ſtudia, quales perſequentium animi, ſucceſſu
qualiue fata. Breuiter, uidebimus miram eccleſiæ fa
ciem, ſed prorſus abſolutam, nunc quidem in ſumma
tranquillitate euectam florere, mox inter turbas here
ſum & perſequentium, in pericula abiectam mire ag
& fluctuare, deum ubiq; opitulari, itaq; eccleſiam u
ipſa oppreſſione ſeipſa ſubinde ſpecioſiorem emergen
Quicquid enim ad ſalutiferam cognitionem & ad pie
tatem excolendam neceſſarium eſt, quicquid à prima
rijs Apoſtolis, Petro ac Paulo in primis, uel egregie ac
ctum uel ſapienter & piè factũ eſt, id abſolute & plen

Anni huius hiſtoriæ.

hoc libro traditum eſt. Totidem autem annorum hiſto
riam texit, quot capita habet, octo uidelicet & uiginti.
Si enim Tiberius uigintiquatuor annis regnauit, deci
mooctauo regni eius paſſus eſt Chriſtus, reſtant igitur
anni ſex: his adde C. Caligulæ quatuor, Claudij uero
quatuordecim, & ex Neronis imperio annos quatuor,
& habebis annos uigintiocto. Nam ſecundo Neronis
anno Paulus Romam uinctus uenit & biennium in li
bera cuſtodia exegit.

Totum

Totum opus in sex partiti sumus libros. At primo hoc, quo quinque priora exponimus capita, tractamus discessum Christi, & ecclesiæ primordia: nempe quomodo Apostoli promissum patris expectantes, spiritum acceperint, huius auspicijs & robore ecclesiã congregarint, quid & quomodo Christo testimonium dederint ac ueram religionem prædicarint, quomodo ecclesiam hanc nouam Christi sponsam Christo initiarint, instituerint, duxerint, quibus imbuerint ritibus, quibus deniq; studijs intenti uicerint tot minas & aduersariorũ artes. Hic uidere est, qui sint impiorũ mores, quæ sutelæ, quæ sanctorum patientia & uictoria. Cap. 1. 2. 3. 4. 5.

LIBER II.

HACTENVS primitiuæ ecclesiæ ortum, infantiam, & quibus creuerit auctibus, enarrauimus: quæ nunc sequuntur peculiaria fermè sunt de certis quibusdam maximisq; ædita uiris. Primum enim se offert D. Stephani historia, graphice depingens, quantus ille fuerit in asserenda ueritate, & quàm constanter occubuerit pro nomine Christi. Sequentur Philippi diaconi gesta, quæ ille magna quidem felicitate in Samaria cœpit, & cum Aerario Candaces reginæ, & in urbibus maritimis multo felicissime absolut. Ab his tracta- Cap. 6. & 7. Cap. 8.

Cap. 9. bitur admirabilis Pauli ad apostolatũ conuersio. Post-
mo exponentur multa Petri præclara facinora, & q
in urbibus maritimis, & quæ cũ Cornelio Centurione
Cap. 10 deniq; in uinculis quoq; Herodianis designauit. Q
11. 12. loco & Iacobi apostoli interitus, Vocatio item gen
Antiochenæ ecclesiæ ortus & incrementa, nec non
totius orbis fames describetur. Hæc enim omnia in u
librum coniungere placuit.

LIBER III.

ABsoluimus gesta Stephani, Philippi & Pet
uaria ac peculiaria quidẽ illa, Pauli quoq; no
nulla, adeoq; peregrinationem huius primam. Desc
dimus ergo ad secundam, & ad ea quæ cum Barnab
communia habet. Prima fuit qua à Damasco elap
abijt in Arabiam, triennio autem exacto redijt Hieros
lymam, & ab hac iterum Cæsaream profectus, in T
sum Ciliciæ soluit, unde à Barnaba reuocatus Antioch
Christum prædicauit: atq; ab hac rursus unà cum Ba
naba subsidij conferendi gratia Hierosolymam ablegā
tus, Antiochiam tandem redijt. Secunda iam tractabi
Cap. 13. tur. In hac audiemus quomodo spiritus sancti auspicijs
unà cum Barnaba procul ad gentes missus, appulerit
Cyprum, atq; in hac Sergium Paulum uirum prima
rium,

rium, deniq; cum eo multas & maximas insulæ urbes ad fidem Christianã, profligato Elyma, cõuerterit. Deinde quomodo in Pamphyliam nauigans, et Christum in hac prædicans, Antiochiam Pisidiæ uenerit. Hic exponetur quomodo Christum ex prophetarum prædicarit oraculis, inuidia tamen quorundam pulsus fugerit Iconium, Cap. 14. deniq; & illa eiectus urbe, uenerit in Lycaoniam. In hac uero Derben & Lystram urbes celeberrimas euangelij fulgore illustrat, claudum quendam erigit, aduersus creaturarum cultum pro uera religione disserit. Sed uincente ingratitudine quorundam hominum impijssimorum lapidatur. Restituitur tamen uirtute domini, rediensq; per eas quas ad fidem conuerterat urbes, confirmat fidelium mentes, ne usquam à cognita deficiant ueritate. Tandem re feliciter gesta, Antiochiam Syriæ unde uenerat redit. Cæterũ cum eo tempore nouum sub- Cap. 15. oriretur Nazaræorum dogma, operibus legalibus salutem tribuens, Hierosolymam ascendit, hæresim istam impugnat, & communibus totius ecclesiæ calculis obtinet fide in Christum non lege iustificari credentes siue Iudæi sint, siue Gentes.

LIBER IIII.

IAM uero sequentis libri texendum est argumentũ. In hoc complexi sumus peregrinationem quam uo-

cant tertiam, hoc est, eam qua ab Antiochia digred
comite Sila, non modo nobiles Asiæ & Græciæ ur
peragrauit, sed & eas omnes reuisit urbes, quas pri
Cap. 16. peregrinatione ad fidem conuerterat Christi. His e
perlustratis in Galatiam & Phrygiam se contulit,
euangeliũ prædicauit. Hic uero Ephesum proficisc
liberans, prohibetur ne in hac prædicet, ergo ad Byz
nos iter instituit, sed ab his quoq; reuelatione auoca
in Græciam secundis soluit uentis, & Neapolim qui
primo appulit, hinc Philippos iuit, sed uirgis cæsus p
pter electum è puella quadam Pythonis spiritum, ha
Cap. 17. phipolim, deinde Apolloniam, inde uero Thessalonic
uenit. Orto autem tumultu demissus est Berrhœam,
hac Athenas, atq; hic cum diuersæ factionis disputa
philosophis, demonstrauit quantus ipse cum in di
Cap. 18. nis tum prophanis uir fuerit. Ab Attica Corinthũ
nit, quam Cicero lumen totius Græciæ dixit, ibi rara
ligentia Christum prædicat annum unũ & menses se
tandem inuidia Iudæorũ inde pulsus Hierosolymam d
nauigat, ubi diem pentecostes peragit. Deinde iter
Cap. 19. reuersus Antiochiam ex hac abit in Galatiam & Phr
giam: tandem uero peragratis omnibus superioris Asi
partibus defertur Ephesum, atq; ibi magna quædam p
trat, & in maxima coniectus pericula ex insana libe
ratur seditione, quam & graphice descripsit Lucas.

LIB

LIBER V.

HOC in libro explicabimus quartam illam Pauli peregrinationem, qua is Macedoniæ & Achaiæ ecclesias reuisit, iterumq; in Asiam soluit, Troadem delatus, in qua Eutychum qui inter concionandum è tertio ceciderat cœnaculo, restituit: postea uero aliquot urbibus emensis Miletũ uenit, in qua mire eleganti ac pia, nec minus utili oratione presbyteros Ephesiorum & circumiacentis agri instituit. A quibus tandem auulsus, & per uarias mediterranei maris insulas Cæsaream delatus. Postremo Hierosolymam deuenit. Hic porrò audiemus quomodo fratrum precibus euictus uotum susceperit, templum ingressus, ibi à Iudæis, tumultu excitato, captus & iamiam ab ipsis interficiendus, à tribuno Lysia, è manibus eorũ ereptus sit. Rursus quomodo permittente Lysia apologiam apud Iudæos frustra pararit: deinde uero ad Ananiam productus uapularit, interim ipsis inter sese Pharisæis ac Sadducæis hostiliter digladiantibus. Audiemus præterea quomodo structas sibi insidias declinarit, & armata militum manu cinctus Antipatridaq; deductus, tandem Cæsaream uenerit ad præsidem Iudææ Felicem, corã quo & causſam suam accusante ipsum Tertullo oratore graui, egerit, adeoq; & euicerit, sed in gratiam Iudæorũ nihilominus in uinculis sit detentus.

Cap. 20.

Cap. 21.

Cap. 22. & 23.

Cap. 24.

LIBER VI.

Cap. 25. EXTREMO hoc libro absoluetur huius (ut dicam) fabulæ catastrophe. Posteaquam enim ram Portio Festo et rege Agrippa diserte caussam su egisset, & Cæsarem appellasset, Iulio centurioni tra tus, per uaria maris Mediterranei pericula, primum Cap. 26. & 27. naui Adramyttina, mox in Alexandrina Roman ducitur. Cæterum in Adriatico mari naufragium p petitur, sed saluus unà cum reliquis (sibi à deo dona Cap. 28. quos ea nauis uexerat in insulam Meliten euadit. In h uiperam è manu pendentẽ excutit in focum, & Pub patrem febribus & dysenteria grauiter laborantem stituit. Deinde post tres menses iterum naui impos Puteolos appulit, inde uero pedes Romam deuenit, hac uero biennium in libera custodia exegit, prædica regnum dei, nemine prohibente.

Interitus Pauli. HVCVSQVE uero persequutus est Lu Actuum apostolorum Pauli potißimum historiam, C tera scriptores (referente Erasmo) non indiligentes, uarijs coniecturis uidentur addidisse: uidelicet Paulu 2. Tim. 4. primum apud Neronem dicta caussa fuisse absolutum, libere ubi uellet Euangelium prædicasse annos decem Tandem ubi Neronis sæuitia iam processisset in rabiem, reuocatum esse ad eius tribunal & capite truncatum.

Cæter

Cæterũ quod ipſe Lucas hiſtoriã non longius proſequutus eſt, non modo ea uidetur eſſe cauſſa quæ à pleriſq; creditur, quod morte interceptus, plura non potuerit: ſed quod eatenus illã perſequi uoluit, quatenus religioni Chriſtianæ conduceret ac neceſſarium uideret: id ergo cum hactenus ſatis fideliter præſtitiſſet, non erat quod Lectorem copioſiori oneraret Hiſtoria. Iam etſi Hiſpanias & Gallias deniq; ipſam Italiam peragraſſet Apoſtolus, ipſeq; Lucas et hanc profectionẽ hiſce adieciſſet, quid obſecro poſt locorũ, urbium & miraculorum diuerſitatem ab ijs quæ dicta ſunt noua aut diuerſa dixiſſet? maxime cum uideamus in ſuperiori hiſtoria eandem rem decies eſſe repetitam. Chriſtus enim heri & hodie idem in ſæcula. Quorſum ergo opus erat multa lectorũ moleſtia eadẽ ſubinde oberrare chorda? Sanè prudentiæ aſcripſerim quod hactenus duntaxat hiſtoriã ſcripſerit. Cur Lucas non continuarit hiſtoriam. Heb. 13.

DISPOSITIONIS ET PERIOCHES HISTORIAE EVANGELICAE SECVNDVM IOANNEM, LIBER I.

QVI aliquid ratione certa & inſigni cum fructu exponere uolunt, expoſitioni ſuæ Summa totius euangelij.

propositionem scopum seu summam totius rei expone
dæ præfigũt, in quam auditores mentis aciem omnem
cogitationem intendentes sciant quò pertineant omn
quæ dicuntur, & quis eorũ sit usus. Expositurus ev
Ioannes apostolus res Christi domini, id est dicta &
cta eius, totumq; redẽptionis nostræ mysteriũ, histori
narrationi propositionem præponit, copiose quide
Cap. 1. explicatam, & hæc ferè comprehendentem, Verbu
dei; id est filius dei, Iesus Christus dominus noster, de q
dicturus sum, ab æterno erat apud patrem, & est de
uerus, per quem omnia sunt condita, idem natura
uita & lux est. Nos quia ex natura humana uitioq; p
cati, tenebræ & mortis mancipia sumus, descendit
bum uel dei filius è cœlo, uenit in mundum, incarnat
& homo factus est, ut per ipsius uitam & lucem uiu
rent & illuminarentur, Iudæi in primis, quibus Mes
peculiariter est promissus. Quoniam uero hi ipsum
pulerunt, uitæ & luci datæ nolentes credere, iccirco
cultatem præstitit omnibus fide uera Christum recip
tibus, cuiuscũq; nationis sexus ætatis ac conditionis h
minibus, filios dei fieri, hoc est uitæ & omnium cæ
stium bonorum hæredes adeoq; cohæredes Christi, q
ueritas. gratia, redemptio, et plenitudo. siue consumm
tio est omnium credentium, in quo uno omnia habe
fideles quæ ad pietatẽ & uitam pertinent. Hæc summ

est

est totius euangelicæ narrationis, Per fidem inquam in Christum condonari peccata, & uitã concedi æternam.

Huic capiti attexit Ioannes ipsum narra ionis siue historiæ euangelicæ corpus, auspicans historiam à prædicatione & testimonio Ioannis Baptistæ, sicuti cæteri tres euangelistæ fecerunt. Exponit autem qualia fuerũt illius testimonia priuata, publica, & ipsis Hierosolymitanis legatis data, omnia certè eiusdem generis, utpote docentia, Iesum Christum uerum esse deum & hominem, in mundum propter peccatores missum, ut credentes saluos faciat, proinde credendum esse in Christum. Ideo uero & discipulos suos à se ablegat, & Christo domino consecrat, ipso uidelicet facto ostendens, huc pertinere omnem eius doctrinã, ut Christo credamus unico totius orbis saluatori. Et quia Baptista solum Christum prædicauit, & in hoc uno omnia pietatis & uitæ ostendit, præteritis rebus Baptistæ, accelerat Ioannes euangelista ad ipsas res Christi describendas, ac initio indicat quomodo exceperit eos qui instigatore Ioanne Baptista ipsum fuerant sequuti: item quæ studia & opera fidelium, plurimos uidelicet Christo adducere. Ibidem perstringitur uocatio quorundam discipulorum, in quorum exemplis discimus quomodo uocentur homines ad fidem euangelij, & quales esse deceat qui euangelica doctrina sunt instituendi.

Testimonia Ioannis Bapt. de Christo.

Cap. 2.

Christus aperit se.

Instituit dominus suos uerbis & signis. Verbi
dem apertis, atte stans se esse credentibus scalam
nuam ad uitam beatam. Signum præterea edit mag
cum in nuptijs, aquam conuertens in uinum, ut eo
suam declararet potentiã, quod is sit qui quæ uult
perficere potest, ut secure ei innitamur quicunq
fidunt. Hæc ueluti priuatim inter notos & fami
designauit. Cæterum non uenerat ut uno aliquo in
paucis, sed in Iudæa uniuersa adeoq; toti orbi inn
sceret, iccirco Hierosolymam gentis metropolim
put proficiscitur, atq; omnibus innotescit facto ue
ximo & instituto suo maxime accommodo. Cum
in mundum uenisset rex & sacerdos Messias om
in orbe fidelium, & Messiæ erat religionem repu
à corruptione, & suos liberare à tyrannide & s
stitione, proxima in Templum abit augustum, &
ementes eijcit atq; uendentes, religionem repurga
ita sese expectatũ Messiam esse indicans. Grauit
tem id tulere religionis præsides, signum postula
quo se approbet eum esse quem se uideri uolebat
de morte & resurrectione sua disputat, quanquam
ctius. Et crediderunt quidem domino non pauci, se
mularunt interim alij fidem, affectum potius corr
mentis suæ sequentes quàm spiritus sancti impul
quibus ideo se concredere nolebat dominus, quod
si

silia & cogitationes cordis ipsorum non ignoraret, rebusq; se seruaret melioribus. Hæc primis duobus tractamus capitibus.

LIBER II.

DILIGENTER prosequitur apostolus ea quæ prædicationis initio & dixit & fecit dominus Iesus, ut sic ecclesiæ iudiciũ recte informet, optime sentiendi de religione Christiana, eiusq; principijs, quæ ut aliàs sæpe, ita hic ferè solent esse difficillima. Exposuit postremo quæ publice & palàm in templo dei designauit Iesus, & quæ in turba disputauit, dixit & fecit, exponet nunc priuatum quiddam. Nam priuatum colloquium instituit dominus cum Nicodemo legis doctore, quem, quod dici solet, fundamentaliter, & à primis initijs solide, plene, et simpliciter erudit, totam synceræ doctrinæ methodum contexens, ac docens regnum dei introire cupienti in primis opus esse renascentia. Naturam enim nostram ac primam natiuitatem nostrã nihil in se habere lucis aut uitæ. Cæterum renascentiam illam constare spiritus sancti renouatione, cuius opera saluandus liquido cognoscit nihil in uiribus esse hominis quod iustificationem & uitam mereatur beatam, alieno merito parari illa, nempe per Iesum Christum, quem no

Colloquia domini quibus diluci-de suos docet.

Cap. 3.

bis gratia & dilectio dei nullum nostrum meritum
dit, & in mortem quidem crucis probrosissimam
ut omnis qui credit in ipsum, nõ pereat, sed habea
tam æternam. Ibi docet fidem in Christum uera
operari opera: incredulitatem contra, causſam es
nis impietatis, adeoq; damnationis. His absolutis
timus tractat apostolus illis agnatam quæstionem
rificatione. Cuius quidem occasione recenset qua
& illustrissimum Ioannis Baptistæ testimonium, qu
testificatus est fideles gratia Christi plene purgari
enim esse Messiam uerũ, in quo orbi dederit pater
quid sit ueræ salutis, ideoq; credentes in Christum
uari, damnari contra incredulos. Istis admirando
dentissimoq; consilio aliud & nouum colloquium
xit, & ipsum priuatũ, domini & Samaritanæ mulie

Cap. 4. Recepit & erudiuit in 3. cap. Nicodemum bo
nem clarum, Iudæum, doctum, & non aspernande
stimoniæ uirum: nunc uero recipit & instituit mu
culam obscuram, gentilem, indoctam sceleribusq; p
tissimam, uidelicet ne quis ex priore exemplo colli
dominum sanctis modo seruandis incarnatũ uen
mundum. Ex hoc enim intelligimus, illum etiam na
esse peccatoribus, nec Iudæis modo, sed & Gentilib
adeoq; & Samaritanis. Colloquium ipsum plurim
habet iucunditatis & suauitatis. Mirifice sese pec
tris

tricis animo insinuat dominus: duo tamen potissimum agit. Principio ostendit se fontem esse boni & omnium gratiarum, é quo quicunq; bibant, exaturentur plenissime. Deinde refutato cultu dei falso, docet quis sit uerus dei cultus: simul autem manifestissima confessione profitetur se uerum esse Messiam. Protinus autem fit peccatrix gratiæ diuinæ concionatrix. Euocat enim Sycharenos siue Sychimitas in occursum domini regis siue Messiæ. Interea dominus apud discipulos disputat de uocatione gentiũ, deq; apostolatu in gentes. Certè Samaritani recipiũt dominũ. At Iudæi, præsertim ciues oppiduli Nazareth, eundẽ aspernantur atq; repellũt. Quare adeò non offenditur dominus, ut male meritis Iudæis nihilo segnius benefaciat. Concedens enim Canã Galilææ regulo cuidã filiũ iam iam agentẽ animã seruat incolumem, eo facinore præclaro cõprobans q; fidentes ipsi in uita posit seruare, utpote uitæ et omnis boni author.

LIBER III.

INSIGNES in uera religione Christiana Christi domini institutiones & disputationes hucusq; cum Nicodemo & Samaritana habitæ, quasi priuatæ fuerunt. Sequuntur proximis duobus capitibus beneficia eiusdem Christi domini publica, quæ occasionem Cap. 5.

præbent publicis disputationibus, in primis memorabi-
libus, & his quoq; de ijsdem, id est de maximis fidei nō-
stræ capitibus institutis. Alterum beneficium præsti-
homini afflictissima ualetudine à multis iam annis mi-
serrime depresso, quem benignus incolumi sanitate do-
nat. Sed quia hoc fecerat sabbato, calumniantur pha-
sæi beneficiū, & accusant benefactorem uiolati sabba-
Dominus causſam suam agens, ostendit patris sui æter-
dei ueluti exemplo se non uiolasse sabbatum. Ex q
responsione decerpunt nouum accusationis caput, in
pingentes domino crimen læsæ maiestatis diuinæ, at
blasphemiæ in deum. Vnde multis argumentis ijsq; in
uacibus & euidentissimis approbat deum esse patrem
suum, ac se natura esse dei filium, & patri per omnia
æqualem, deum uerum, uiuum, & æternum. Sub finem
tamen eius demonstrationis declinat ad obiurgationem
siue expostulationē cum Iudæis, aperitq; caussas huma-
næ incredulitatis & perfidiæ, studium uidelicet gloriæ,
opum, & uoluptatis, horrendas simul his comminatio-
nes adhibēs, grauissimas uidelicet pœnas illos ultori de-
aliquando daturos.

Christus uerus & naturalis dei filius.

Cap. 6. Alterum beneficium maxime publicum est. Exhi-
bet enim epulum mirificum & planè regium aliquot
hominum millibus in deserto, manifestissime sic decla-
rans se esse illum benedicti dei adorandum filium, cuius

uirtute

uirtute & prouidentia aluntur nutriunturq; uiuentia uniuersa. Populus autem non intelligens tanti beneficij iustum finem, pro sua crassitie, uult dominum creare regem Israelis. Sed dominus qui non uenerat regnaturus in humilitate, in terris deniq;, aut in Iudæorum modo regione, aut regnum accepturus ab hominibus, sed glorioſus, cœlestis, in cœlo simul & uniuersa terra, omniumq; creaturarum uisibilium & inuisibilium, ab ipso deo patre coronatus rex futurus, secedit & abdit se in montem solus. Discipuli ubi lateret aut quò profugisset dominus nescientes, nauigio Capernaum contendunt: quos sequutus dominus marinis fluctibus, ceu solidæ terræ inambulauit, & periclitantibus in lacu succurrit, hoc quoq; argumento diuinam suis uirtutem commendans. Postera die nauibus sequuntur & turbæ, suis sermonibus domino occasionem suppeditantes disserendi publice in schola Capernaitica de compendio & summa religionis nostræ, nempe quod ipse uerus dei filius cœlitus sit missus à patre, ut totum genus hominũ uiuificet, & in uita conseruet, quod inquam incarnatus sit pro nobis, quod in mortem pro nobis carnem suam & sanguinem suum obtulerit, ut omnis qui credit in ipsum habeat uitam æternam. Hoc uero maximũ fidei nostræ mysterium continuo panis siue cibus & potus, edendi item bibendiq; uelamine allegoriaq; tectum proponit,

Christus cibus uitæ.

quo & rectius res ſpirituales ex imagine corporearu
caperentur, et hominũ pectoribus inhærerent tenaciu
Porrò cum illa Capernaitæ ſiniſtrius craſſiuſq; intelle
gerent, clariſsime ſe explicat dominus diſerte quid e
orationis genere intellexerit ediſſerens. Deficientibu
autẽ ab ipſo nõ paucis, rogat diſcipulos illos ſuos, qu
uocarat ad apoſtolatũ, an & ipſi defectionem medi
rentur. At beatus Petrus omnium nomine apoſtolor
confeſsionem fecit per omnia orthodoxam, & om
ueræ fidei comprehendentem, hanc eccleſiæ relinqu
ut & ipſa in omnibus turbis & hæreſibus ſic per
Chriſtum confiteri. Habes ergo in hoc libro ſigna de
tertium & quartum, quæ fecit Ieſus, & deſcripſit Ioa
nes: duo item maxima fidei noſtræ capita copioſiſsi
& doctiſsime tractata, & quod Ieſus eſt deus uer
unius cum patre eſſentiæ, et quod idem uerus eſt hom
animæ cibus, totiusq; hominis conſeruatio & uita, ſi
uera in ipſum innitentis.

LIBER IIII.

De Doctrina & Doctoribus.

COMPENDIVM ſummam & ſcopum u
uerſæ doctrinæ euangelicæ hactenus graphic
depinxit Ioannes, ſubiungit nunc peculiaria quædam
doctrina, & doctoribus euangelij, quod nam horum ſi
officium: qualis eſſe debeat eorum doctrina: quomod
probandi

probandæ & cognoſcendæ doctrinæ, an ex deo ſint: quod Chriſtus dominus nihil peccarit cõtra doctrinam legis: quomodo item ueritatis doctrina prolata mundo excipiatur, & quantæ propter euangelium turbæ exoriantur, dum hic uinculis, minis & cæde illud conatur opprimere excindereq;. In his tamen turbis perſtat dominus nihilominus animo intrepido, teſtimonium ferens ueritati, admonens etiam quæ mala maneant euangelij contemptores, & inculcans idem perpetuo doctrinæ genus, unde uidelicet ſalus ſit, ex unico dei filio, ſi in ipſum credatur, & quæ ſit fidei uis. Hanc pietatis doctrinam ut pij cupide recipiunt & complectuntur, ita impij irritantur magis ac magis, conantes ipſam conuitijs defœdare, ac modis omnibus opprimere, ſed dei potentiam non ſuperat impotentia hominum, quæ ſemper fruſtratur & deluſa atq; turpiter confuſa abit. Cap. 7.

Poſt hæc ponit Ioannes inſigne bonitatis & miſericordiæ dei exemplum, unde intelligere licet quomodo Ieſus ſit fons aquæ uiuæ ſitientes potans ad uitam æternam. Rurſus autem ſub inuolucro alterius cuiuſdam parabolæ ſanæ doctrinæ ſummã comprehendens, docet ſe eſſe lucẽ & ſaluatorẽ totius mundi: quam ueritatis doctrinã Iudæi rixatores polluere conantes multa cauillantur. At tuetur & confirmat illam dominus gnauiter, ac firmiter, denuncians contentioſis pœnã, aperiens ſimul Cap. 8. Chriſtus lux.

contentionis erroris q; cauſſas, ac ſubinde ſe clarius de
riusq; explicans quod ſit ſaluator mundi, qui ſeruet cr
dentes, incredulos damnet: quod doctrina eius certa ſi
& infallibilis, id quod iterum atq; iterum repetendo in
culcat. Hoc enim mordicus in omnibus concertation
bus retinendum eſt. Porrò fideles et ſanctos, qui ipſi c
diderant, plenius inſtruit quid faciant, quomodo ope
teat in cognita ueritate perſeuerare, & quæ ſit libe
tas filiorum dei. Rurſus refellit prauam Iudæorum g
riationem, iactantiũ ſe eſſe filios dei ac ſemen Abra
Filij Abrahæ. Docet enĩ dominus qui ſint ueri Abrahæ filij, quod n
genium filiorum dei & diaboli, item quod ingenũ, q
opera diaboli, ac notam quidem filiorum dei euidentiſ
mam eſſe auſcultationem uerbi dei. Hanc fidelem & r
gregiam domini diſputationem conuitijs excipiũt Iudæ
quibus dominus denuo ſummam ueræ & ſanæ doctri
næ ingerit, non niſi fide in Ieſum Chriſtum conſtare ſa
lutem & uitam mundi, adcoq; ipſum Abrahamũ uixiſ
per fidem Ieſu Chriſti filij dei. Ad quam ueluti blaſphe
miam extremam excitati lapides arripiunt, animadue
ſuri ſcilicet in blaſphemum: uerum hic ſeſe è turba ſub
duxit tumultuantium.

Suppeditat autem tota hæc totius lib. 4. diſſerta
tio pulcherrimum exemplum rei maxime neceſſariæ,
quomodo uidelicet oporteat in omnibus turbis, perſe
quantiu

quutionibus, minis, disputationibus, rixis, conuitijs atq; calumnijs huius mundi unice ad Christum ac infallibile huius uerbum euangelij ceu unicam in procelloso ponto Cynosuram respicere, & fidem in eum constantissime retinere.

LIBER V.

COPIOSISSIME & elegantissime describit deinceps apostolus quintum domini miraculum siue beneficiũ cæco cuidam nato præstitum. Quo dominus Iesus ceu uiuo facto id confirmat atq; declarat, quod modo proposuerat toti populo in templo, se uidelicet esse lucem mundi, qui uenerit illuminaturus & uiuificaturus omnes credentes. Nunc enim cæcum natum illuminans, ipsa re manifeste significat atq; comprobat, se illuminatorem esse. Imò sub finem historiæ hoc factum suum quàm latissime ad omnes extendens homines, subdit, In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant: qui ueluti status est ad quem totam referamus historiam. Interea ueluti in scena quadam proponitur spectanda acris concertatio piorum ac impiorũ, propter religionis negotium ac confessionis euangelicæ ueritatem. Depinguntur mores & ingenia, non modo hostium uerbi dei, sed & simplicium Christianorũ, quorum officium,

Cap. 9.

Christus lux.

libera confessio & fidei incrementa hic describun
Proinde uidebis ceu in uiua quadam pictura impio
consilia et conatus quibus ueritatẽ insectantur, tenebr
inuoluunt & opprimere nituntur. Videbis miram u
friciem, iram & inuidiam implicabilem & sæuitiã plẽ
extremam. Videbis rursus fidelium simplicitatem, sp
ceritatem, patientiam, constantiam, & in omnibus u
ctricem ueritatem, quæ sedendo semper uincit.

Cap. 10. Post hæc grauiter accusat cæcos ac perfidos pop
Iudaici pastores: simul autẽ indicat se uerum illum
pastorẽ qui morte sua gregem uiuificet, sua potentia
cura ab omnibus malis redimat salubriq; reficiat pab
lo. Nihilominus præfert in his exemplum optimi pas
ris omnibus fidelibus pastoribus, erudiẽs quid ipsos
ceat, & quod sit eorum officium: præcipue tamen
culcat id, quod nullibi non solet urgere, se esse salua
rem mundi, qui sua morte credentes uiuificet. Cæter
exoritur propter hanc doctrinam noua turba nou
dissentio, alijs quidẽ constanter propositam calumnia
tibus ueritatẽ, alijs uero eandẽ nihilo segnius tuentib
ac defendentibus. In Encenijs proponũt domino aduer
sarij quæstionẽ unde nouã caperent calumniandi ansa
Quærunt: An sit Christus benedictus ille dei maxim
filius, id est Messias? & si sit, palàm, diserte & luculen
ter id profiteatur. Profitetur ergo dominus Iesus, &

Christus bonus est pastor.

non m
stus be
ne isti
blasphe
exposi
statem
inflexi
nes, de
eum l
Reper
illic c
H
ra, a
quatr
ultim
deo p
propi
se uis
timo
festiß
cruce
uare,

non modo profitetur, sed comprobat etiã quod sit Christus benedictus ille, benedicti dei filius. Qua professione isti irritati magis quàm instructi, lapidibus Iesum ceu blasphemum obruere uolunt. Hic uero amice cum illis expostulans ostendit se reuera esse dei filiũ, neq; in maiestatem patris peccasse quicquã. Verũ cum apud crassos inflexibiles & cæcos aduersarios nullæ ualerent rationes, denuo relictis illis & transmisso Iordane, redijt ad eum locum ubi Ioannes primum cœperat baptizare. Reperit ibi oues obsequentes non paucas. Nam multi illic crediderunt in Iesum.

LIBER VI.

HACTENVS magna & diuina audiuimus, sequentur porrò maiora propemodũ ac diuiniora, ante omnia resuscitatio per Christum Lazari iam quatriduo in sepulchro positi & fœtentis. Appetebat ultima Christi domini dies, quo se pro salute hominum deo patri in odorem bonæ fragrantiæ offerret. At quo propius ad mortem perucnitur, hoc illustrius depromit se uis & fructus mortis dominicæ. Certè sexto hoc ultimo signo siue miraculo suo demonstrat dominus manifestißime se uitam esse totius mundi, qui quanquam in cruce moriatur, credentiũ tamen animas in morte seruare, et mortuos excitare possit. Hoc autem cum carni

Lazari resuscitatio.

Cap. 11.

ac rationi humanæ difficile sit creditu, tractatur hi-
ria hæc & copiose et exacte, adde & euidenter, ut
coràm omnia inspicere p:tes. Informatur interim
Martha & Maria fides nostra, qualis esse debeat. V
uersa autem historia confirmantur animi sanctorũ c
tra metum mortis, mitigatur, adeoq; tollitur scandal
crucis, & indicatur caussa odij & inuidiæ sacerdo
siue senatorum populi Izraelitici, qua excæcati de
cidendo Christo consultant. Consultatio ea pauci
euidentibus perstringitur.

Cap. 12. Conuiuium Bethanien.

Huc iam pertinet conuiuium in Bethania cele
tum, cuius descriptione caussa ostenditur qua impi
Iudas sacerdotibus Iesum uendere atq; prodere sta
Per cætera prosequitur Ioannes reliqua quibus gl
& uirtus Christi subinde clarius atq; cla us emi
atq; illuxit populo Izraelitico: in primis quod ur
regia ingressus pompa, declarauit se illum esse rege
liberatorem populi dei, quem prophetæ futurum p
dixerunt. Dolebat id phariſæis, qui magnitudine po
tia & euidenia rerum Christi adobruti de rebu
desperare coguntur. Adhæc accedit illud quoq; q
Græci siue gentiles Hierosolymam Iesu uidendi salu
diq; gratia ex remotissimis oris ueniunt. Qui ea
occasionem accipit dominus dicendi de morte sua,
fructu eiusdem, & consequente mortem mox insigni
loq

longe maxima gloria. Orat item ut pater illustret glo-
riam suam. Fit oraculum cœlitus ad preces domini re-
sponsens. Dominus inde rursus clarissime docet quis ex
morte ipsius ad fideles rediturus sit fructus. Cum autem
ex his quæstionẽ moueret turba, de æternitate Messiæ,
hic ad fidem adhortatur. Iudæi nihilominus in incredu
litate pergunt, id quod Ioannes Isaiam prædixisse de-
monstrat. Cæterum ad confirmandos infirmos in fide,
uehementissimũ habet sermonem dominus, quo etiã suæ
doctrinæ, hactenus publice propositæ, epilogũ contexit.

LIBER VII.

SANCTVS Ioannes ea hucusq; tradidit quæ pri
uatim & publice dominus ante passionem suam di-
xit & fecit inter suos familiares & coram tota plebe
tam disputando quàm concionando, plenissimam euan-
gelij doctrinam & asserens & tradens ecclesiæ: per
consequentia uero describit secreta & mystica quædã
tam dicta quàm facta domini quæ in ultima & arcana
illa Cœna sua coram discipulis perorauit atq; peregit.
Ardent hic & diuino quodam fulgore rutilant omnia.
Proponuntur enim hic & explicantur omnia fidei no-
stræ ac regni dei mysteria, lautissimũq; animæ & spiri-
tus epulũ liberalissime ab ipso dei filio ecclesiæ instrui-

Mysteria domini maxima in Cœna explicantur.

tur & profertur, ut auditor fidelis paulò attentius h
considerans, non humanam se uocem exaudire, sed p
nè diuinam, nec in terrena aliqua cœna uersari, sed
ipsum cœlum admissus mensæ dei conuiua esse uide
Præteritis tamen ijs quæ de hac cœna ultima alij
euangelistæ & diligenter & copiosè prosequuti su
Ioannes reliqua quæ nondum erant literis tradita p
nissime exequitur, ne quid deesset ecclesiæ Christi,
haberet plenissimam rerum saluatoris sui historiam.

Cap. 13. Initio ergo præfatus nonnihil, mox inducit dom
discipulis suis lauantem pedes, atq; eo facto uerbis su
additis commendantem & humilitatem & charita
officia, explicantem item effectum siue fructum pas
nis suæ. Post ea ponitur non indiligens & inutilis
proditione Iudæ dissertatio. Is ubi elapsus è sanctum
sacrosancto conuiuio sicarios iam colligeret qui Iesu
caperent, sensit hic ultimam nunc adesse horam, u
item discipulos suos graui oppressos mœrore uarie ta
tari atq; angi, egregiam ergo orationem meditatur
instituit qua suos consoletur, & de omnibus rebus su
eos admoneat atq; plene instituat. Hoc enim solem
cere morituri, consolari uidelicet suos, de uarijs re
præcipere, grauiterq; monere. Ad eundem enim mo
dominus prolixam et utilissimam orationem ad 17. ca
usq; descriptam ad suos habet, quam perspicuitatis gr
tia

lia in duas diuiſimus partes. Prior abſoluitur poſtremis 13. capitis & integro 14. capite. Poſterior comprehenditur 15. & 16. cap. Cæterum oratio domini ſiue concio uaria eſt, nec ad unum & certum aliquem refertur ſcopum, niſi conſolationẽ & inſtitutionem ſpectes. Omnia enim huc tendunt ne turbentur diſcipuli Chriſti, & ut norint myſteria Chriſti, & ſciant quid faciant. In primis autẽ diſſerit de morte ſua, quæ quoniã mundo iſta eſt probroſa eſſe & infamis, ipſe docet & patrem & filium morte glorificari. Deinde quia ab ipſis diſceſſurus erat, ne ignorarent quomodo ſe gererent, & quibus inter ſe uiuendi legibus uterentur, non obruit ipſos numeroſis præſcriptionibus, ſed unicam commendat charitatem.

Interrumpitur hic tamen modice domini oratio per audacem D. Petri pollicitationem, quam compeſcens dominus in inſtituto pergit, ac profitetur palam ſe deũ eſſe uerum, quo fidem ſuorum, in qua eſt maximũ conſolationis firmamentum, fulciat. Addit ſe ideo abire ac Cap. 14.
mori ut uiam nobis in cœlos aperiat. Mox plenius demonſtrat Philippo ac reliquis, quod patri per omnia coæqualis & conſubſtantialis ſit: imò patrem nõ poſſe cognoſci niſi per filiũ. Iam etiam adhortatur ad fidelem mandatorũ ſuorum obſeruationem: promittit alium paracletũ. Congerit præterea multas rationes, quibus &

consoletur mœrentes animos, & incitet ad uebem pietatis studium. Hinc uero paulò copiosius disser paracleto siue spiritu sancto, ac apertissime dicit se h ui tradendum in manus hominum peccatorum: sed interim seruandum fore mundum.

LIBER VIII.

ABSOLVTA prima parte orationis dom Iesu à cœna habitæ ad discipulos dilectos, in mus nunc ad secundam, quæ in itinere uersus mon oliuarum dicta uidetur, ac 15. & 16. cap. compreh ditur. Cohæret ea cum superioribus ad hunc mod Sæpe iam dixerat dominus se ex hoc mundo ad pa abiturum, interim ne discipuli se deserendos plan bitrarentur, adiecit se unà cum patre & sancto spi uenturum ad ipsos, ac in ipsis mansionem factur modo præcepta eius seruare pergant. Id iam uelut petens quasiq; expoliens elegantissima uitis palmi parabola in medium prolata luculentissime disser immanentia, ut sic dicam, siue præsentia ipsius in ecc sia, adeoq; de uera Christi & sanctorum communio quod inquam spiritu, uirtute & operatione euidenti tus in nobis sit mansurus, si modo nos per fidem & d lectionem manserimus in ipso. Et certe hoc nomine a

Cap. 15.

Præsentia Christi in ecclesia.

piosius

ioſius paulò agit de dilectione. Obiter autem & de
lignitate fidelium diſſerit, quos amicos non ſeruos ap-
ellat. Rurſus ne ſuperbirent, addit hoc eis gratuita dei
lectione obueniſſe, qui elegerit ut abeant & copioſum
ructum afferant. Cæterũ diſcipuli iam iam ſentire in-
ipiebant quanta ipſis ſubeunda forent pericula, iccirco
etuebant ſibi non mediocriter. Dominus ergo confir-
ans eorum mentes, multa & uaria diſputat de cruce
& tolerantia, iterumq; paracletũ promittit qui in tur-
is & perſequutionibus incitet, animet atq; confirmet.

Præterea de huius effectibus uiribus atq; officio Cap. 16.
ulta, magna cum utilitate diſputat, explicãs quomodo
orpoream præſentiam, quæ poſt mortem ſuam in ter-
is nil ſit profitura, ſpiritus dono ſarcturus ſit, quomo-
o per hunc paraturus ſit in orbe eccleſiam & in hac
egnaturus. Iterum tamen inculcat ſe moriturum prius,
& hinc graui mœrore opprimendos diſcipulos: quos
ox conſolando erigens denuo, aſſerit mœrorem non
re diuturnum, gaudium uero quod ex reſurrectione
oriatur & conſequatur mœrorem, fore perpetuum.
l quod per parabolam declarat parturientis mulieris.

Ad hæc ne de corporis diſceſſu in cœlos triſtarẽ-
r nimium, pollicetur ſuis omnia ſe doctũrum per ſpi-
itum regni dei myſteria, donaturumq; quæcũq; in ſuo
l eſt Chriſti nomine poſtulauerint: ſimul autem colli-

git in breuem summam totum negotium redemptionis, hoc nimirum penitius infigere cupiens ipsorum cordibus. Quæ quum magno cum applausu reciperent & laudarent discipuli, profitentes se iam credere & plane intelligere quod ipse sit dei filius, prædicit his quod mox ipso deserto quisq; sibi fuga sit consulturus. Sub finem uero totam orationem hucusq; à 13. capite contextam concludens, & quo omnia referenda sint subindicans, Hæc locutus sum uobis, inquit, ut in me pacem habeatis, in mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego uici mundum.

LIBER IX.

POSTEA QVAM dominus noster Iesus sermonibus his planè diuinis discipulos suos partim consolatus esset, partim erudijsset & instruxisset aduersus imminentem malorũ procellam, quoniam unice admonuerat fiduciam non collocandam esse in ullis rebus humanis, sed præsidio cœlesti, porrò exemplo suo docet ut ingruentibus afflictionibus nõ aliò spectent quàm ad patrem cœlestem. Iam itaq; suam subiens paßionem, incipit eam à precibus ad patrem fusis, cui se primũ commendat, deinde apostolos, postremo omnes apostolorum doctrinæ credentes, obsecrans ut se glorificet, apostolos

Oratio domini Ioan. 17.

item

n & fideliũ ecclesiam per hunc impurissimũ mundũ
ucat in studio ueritatis pietatis, & charitatis, sibiq;
rnum coniungat. Absoluta oratione subit in montem Cap. 18.
arũ, abiens in hortum, quo repetitis sese deo preci-
commendaret. Interea collegerat perfidus Iudas è
eratissimis quibusq; cohortem, ac imminet innoxio.
minus ut ostenderet se pati ultrò & uoluntarie, ac Passio Chri
nipotentem esse, tametsi patiatur sibi inijci catenam, sti,
sternit semel atq; iterum cohortem in horto, deinde
ntanee tradit seipsum impijs uinciendum. Ibi satis
liciter pugnabat Petrus, ac coërcebatur à domino,
m mox producũt ad Annam pontificem, & ab hoc
Caiapham, quod is esset eo anno in summi præsula-
dignitate constitutus. Fit inquisitio in doctrinã Iesu,
q; hic responsionem pararet, indignissime cæditur
inistro pontificio. Inter hæc turpissime negat et ab-
t dominum Petrus. Cæterum ex curia pontificis
a in prætorium proconsulis abducitur Christus,
d mortem commeruisse uideretur. Accusatur coram
o, & discutiuntur accusationis capita, uerum nul-
n ipso culpam inueniens Pilatus, arte ipsum libe-
tentat.

Quod cum cessisset finistre, flagris discissum & co- Cap. 19.
spinea coronatum, producit ad multorum capi-
beluam uulgus. Hoc conclamat cruci esse figendũ.

Pilatus uero multa rogitans, tandem tamen Iudeorum improbis uictus clamoribus, Iesum tradit crucifigendum. Accipitur ergo à militibus, et educitur in locũ calua ad suppliciũ. Ibi medius inter latrones erigitur in cru Cruci imponitur per Pilatum non sine magna contro tatione & contrauersia titulus siue cauſſa mortis. Po rò milites diſcindunt ueſtes domini, et pro tunica inco ſutili ſub cruce ſortiuntur. Dominus autem à cruce trem ſuam commendat Ioanni: ſitit, & propinatum ſpongia acetum bibere renuit, ſanctéq; teſtans om conſummata, & ſacrificium perfectum, tradit deo p ſpiritum.

Poſtea franguntur crura latronibus, Ieſu aperitur tus, profluit ex eo ſanguis & aqua. Qui uidit, fat ueritatem atteſtatur Ioannes. Poſtremo autem adh pij ac religioſi uiri, qui depoſitum à cruce mortuum mini corpus, honeſtiſsime condunt atq; ſepeliunt.

LIBER X.

Reſurrectio domini uera.

MAXIMA fide & diligentia hac euãgelij parte poſtrema enumerat Ioannes manifeſtiſſima glorioſæ ex mortuis Ieſu Chriſti domini noſtri re rectionis teſtimonia & argumenta, quibus plene & plane demonſtrat ipſum uere uero ſuo & rediuiuo co per

re resurrexisse ex mortuis. De modo resurrectionis
r naturali ordine reuelationum non fuit admodum so
itus. Videbat enim id alios abunde satis prosequutos Cap. 20.
lumbrasse. Ipse ergo selectissima duntaxat consignat:
initio quidem ostendit quomodo Mariæ Magdalenæ
exhibuerit rediuiuum. Nam & Marcus, Cum sur-
xisset, inquit, Iesus mane, primo die sabbati, apparuit
imum Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæ-
onia. Hæc uero quid uidisset, protinus exponit aposto
: ex quibus duo ad sepulchrum procurrentes, certis
gnis atq; indicijs deprehendunt, illam rem non uanam
rrauisse. Ipse uero dominus manifeste manifestam eius
surrectionem decem congregatis discipulis exhibere
olens, prodit in medium ipsorum, atq; manus & latus
catricibus uulnerum insignes palàm ostendit eis, ap-
obans ita ueritatẽ ueræ suæ resurrectionis. Mox mi-
sterium prædicandæ salutis & redemptionis commit-
atq; iniungit apostolis, claues nimirum regni cœlo-
m credens. Hæc cum agerentur, cæteris discipulis in
um congregatis, solus aberat Thomas, cui mox re-
unti, gestientes gaudio discipuli, renunciant quod ui-
ssent dominum. Ille suspicatus ipsos phantasmate ali-
o ludificatos fuisse, negat se crediturum, nisi oculis
roprijs spectet coràm corpus Iesu, adeoq; & manibus
alpans contrectet corporis ueritatem. Post dies igitur

octo cum denuo in unum conuenissent discipuli undeci
omnes, adest iterũ dominus Iesus, ac manifestissime se
cernendũ oculis & manibus palpandũ exhibet Thom
qui rei euidentia ueritateq; conuictus, exclamat sic
pro domino & deo suo Christum agnoscere et adora

Cap. 21. Et hæc quidem euenerunt in ipsa Hierosolymor
urbe, & circa ipsum domini sepulchrum: quæ quam
sufficere poterant ad fidem resurrectionis plenè com
mandam, adijcit tamen Ioannes insigne quoddam arg
mentum, quo in Galilæa declarauit se ex mortuis rep
rexisse, sumpto etiã cum discipulis prandio. Promis
enim dominus tam priuata sua pollicitatione, quàm p
angelorum promissa, fore ut ipsum in Galilæa uidere
Cæterũ ei reuelationi appendit Ioannes colloquiũ qu
à prandio mox habitũ est à domino cum Simone Petr
quem restituit ministerio, prædicens ipsi fatũ suum tri
Ille admiratus quid Ioanni euenturum esset, audit quem
libet suam spectare debere uocationem. Postremo pro
testatione facta, quod res domini Iesu bona fide desc
pserit Ioannes, claudit euangelicæ ueritatis historiam.

EXHIBVI tibi denuo, Lector pie, seruatore
tuum dominum Iesum Christum, uerum illum & natu
ralem dei filium, à patre æterna & inenarrabili nati
uitate genitum, patri consubstantialem & coæquale
in omnibus: in fine autem temporum, iuxta prophet
corum

orum fidem oraculorum, incarnatũ pro nobis, paſſum,
uere mortuum, & ex mortuis reſuſcitatum, factumq;
erum omnium regem & dominum. Hic cum ſit deſi-
gnatus nobisq; datus à deo patre plenitudo omnis gra-
iæ & ueritatis, agnus ille dei qui tollit peccatũ mundi,
ſcala ac ianua cœli, ſerpens exaltatus, qui uenenum red-
dit innoxium, aqua ſitientes reficiens, filius patri nos
reconcilians, panis uitæ, ſaturitas ac deliciæ animæ, lux
ac oculus mundi, liberator filiorum dei, illuminans om-
nes noſtras tenebras, paſtor ouium & oſtium, reſurre-
ctio & uita, granum frumenti renaſcens, uictor princi-
pis huius mundi, exemplum uitæ, uia, ueritas, & uita,
uitis uera & frugifera, deniq; redemptio, ſalus, ſatisfa-
ctio & iuſtitia omnium fidelium in toto orbe, per om-
nes ætates & omnia ſæcula, inuocemus patrem noſtrũ
per dilectiſſimi huius filij ſui, domini noſtri Ieſu nomen,
ut euãgelio hactenus docti inſtructiq; cognoſcamus uere
um qui uerus eſt, & credamus in eum qui nobis à pa
re datus, & in quo uno & ſolo ſalus eſt, credentesq;
ſentiamus hic uiuentem in nobis deum, ac in futu-
ro ſæculo fruamur æterno et beatiſſimo eius
conſortio, Amen, Amen.

FINIS.

EPISTOLA PAVLI DE DIFFICVLTATE VEL OBSCVRITATE ET RVRSVS DE PERSPICVITATE DOCTRINAE VEL EPISTOLARVM BEATI APOSTOLI PAVLI.

SOLENT optimæ quæq; res, Berchtole doctiſſime, obſcuritatis & difficultatis q nione ſtudioſorũ offendere mentes, ut ea mum uel abdicent, uel deſperatione imbuti attactiq; i magno animi ardore accedant: cum re uera in omn bus diſciplinis honeſtis, maxime in literis ſacris, ea ſu

Difficultas ſcripturæ.

expoſitiſſima, quæ optima. Nam fieri non poteſt ut e ipſo deo, qui ueritas et limpidiſſima lux eſt, aliquid pro ficiſcatur obſcuri. Obſcuritas enim omnis & diuinar rerum difficultas è nobis, hoc eſt, ex ſocordia noſtr deinde ex idiomatum & ſchematum neglectu, poſtr mo ex non obſeruato orationis contextu enaſcitur. Nam ſocordia noſtra facit, ut ſegnius diuinæ ſapientiæ fores pulſemus. Atqui ſi cui deerat intelligentia, iuxta apoſtoli uerbum, à deo ſine intermiſſione petenda era. Sed ſchematũ & linguarum neglectu fit, ut ſimpliciſſi mæ aliàs locutionum formulæ perplexæ imò & portento ſæ uideantur. Ea enim in re nemo ſatis explicauerit, quàm

quàm superstitiose nonnunquam nodum quæramus in scirpo. Cæterum si non teneatur orationis filum, nihil mirum est, si & prophetarũ & apostolorũ imò Rhetorum quoq; disertißimorum scripta miscellaneæ quædam & phanaticorum hominum uideantur esse commenta, ad quorũ sensum nemo penetrare posßit. Equidem epistola Pauli ad Romanos locupletißimum huius rei testimonium est. Cum enim Christianorum schola, ea nihil unquam habuerit melius, nihil tersius, simplicius quoq; & purius nihil: quippe qua omnis Euangelij uirtus, nõ tam copiose quàm perspicue exposita sit, eò tamen difficultatis opinione prorsus ascititia, peruenit, ut sint qui eam non legant, neq; à quoquam hominum recte intelligi posse credant. Quasi uero spiritus sanctus mũdo Bœotica quædam proposuerit ænigmata. Atqui hanc, in re clarißima, obscuritatem & desperationem, sua sibi culpa, inertia, & neglectu consciuerunt homines. Rectißime enim ille: Noctem (inquit) istam tecum circunfers. Vociferaris spinosum esse authorem, sed tui pedes spinas habent, non locus: caligas in sole, & lux ipsa tuis oculis noctuinis pro caligine est. Nam cui obsecro ueriſimile uideatur apostolũ, qui omnibus, maxime uero rudibus cum manibus, quod dici solet, tum pedibus & uoce & stilo prodesse uoluit, Aristotelico, id est, subdolo uersipelli & inuido turgidum fuisse inge-

recentiorum non pauca in hanc extare commenta quæ hoc noſtro tantum abeſt ut contemnamus, ut gis illorum opera ſicubi neceſſarium ſit utamur. T piſſimum enim adoleſcentibus in primis cornicum figere oculos. Interim quis oro ſingulos propb prohibeat? Scripſerunt illi eruditis, ego rudibus e diocribus. Varia inſtrumenta habet in eccleſia ſua nipotens, quibus ad gloriã nominis ſui & eccleſi inſtitutionem utitur. Varia ſunt et ſpiritus ſancti do Nemini enim omnia, ſed ad ædificationem omnibu tulit omnia deus.

Igitur ad gloriam nominis dei & eccleſiæ ſue fectum, eccleſiæ hæc noſtra propono iudicanda, qu ſchemata & contextum orationis, nõ minimam ob ritatis cauſam ſimpliciſſime indico, cum gratiarũ ac ne ceſſurus, ſi alteri melius quippiam fuerit revelat

ARGVMENTVM EPISTOLÆ S. PAVLI AD ROMANOS

Occaſio. ROMANORVM eccleſia, quæ ex Iud & Gentibus conſtabat, egregie erat in fide Ch ſti imbuta, doctoribus Andronico, Iunia, & Narci uel quod alijs placet apoſtolo Petro, qui Romam ſe do Claudij Cæſaris anno appulerit. Vtcũq; uero ea

habe

habeat, certe Romana ecclesia eo tempore, quo ei hæc à Paulo scribebantur, recte fuit in uera fide instituta. Iccirco consentaneum est Apostolum nulla ab errore reducēdi opinione hanc scripsisse: recta enim ambulabat, sed pia cura. Obturbabat enim ecclesias Dei Minæorum hæresis, quos uulgo Nazaræos nuncupant, uersutissimum genus hominū, qui (ut inquit Hieronymus) ueteris legis obseruantiam Euāgelicæ gratiæ aptabant, & ea prorsus de Christo dicebant & credebant quæ nos, sed uni non omnia tribuebant ut nos, quin magis legalibus & operū meritis. Hos itaq; ut nullibi non acriter impugnabat apostolus euangelicæ gratiæ acerrimus propugnator, ita hic quoq; sua sponte istos ueluti præueniens ueritatemq; ab istorū repurgans sordibus, Romanis hac epistola tradit, iustitiam non deberi uel legalibus uel operum meritis, sed fidei Christianæ. Hic autem sermonis characterem sic attemperat, ut simul & summā fidei ac doctrinæ Christianæ percenseat, interim & Iudaicum deprimat supercilium, illud quoq; è medio tollat dissidium, quod inter Iudæos & gentes indies maximis glisceba auctibus. Docte itaq;, clare & copiose totum hoc negotium sic tractat. Nazarei. Scopus.

Initio proposita expositione præfigit scopum totius causæ, Iustum ex fide uiuere. Hunc protinus expositi distributione quadā, docens cum Gentes tum Iudæos, De uera iustitia.

quin & omne mortalium genus peccato esse obnoxi
iustitiam itaq; non esse hominis corrupti et peccato
sed dei potius miserentis eamq; credenti gratia con
remis. Illud porrò copiose admodũ primis exponit ca
pitibus. Hoc uero quod fides sit iustitia, ceu noua co
firmatione in fine 3. & per initia 4. cap. astruit. &
in fine huius digreditur, & Fidem ueram, exemplo fi
Abrahæ & cognatis seu consequentibus fidem, desc
bit. Et iterũ ne quid cuiquam deesset, denuo totam ca
sam conuentione quadã demonstratiua ob oculos ra
cat, ut quisq; uel cernere possit ab homine nihil nisi p
catum, at à deo per Christum solum, omnem profic
iustitiam. Atq; hæc quidem quæ quinq; istis primis c
tractata capitibus, prima & potissima continent m
gelij mysteria, peccatorũ uidelicet remissionem & i
tam per Christum restitutam.

Summa euangelij.

Quæ autem sequuntur usq; ad cap. 9. ueluti subi
dium satisfactio siue declaratio sunt superiorum. Cu
enim illa uni Christo fideiq; in eum tribuerint omnia,
mens humana crassa sit, ideoq; mox ex istis colligat p
fidei libertatẽ licere omnia, sed & opera bona esse su
stranea, inutilem quoq; legem, utraq; hæc præoccup
tione quadam diluit & in sexto quidem cap multis a
gumentis demonstrat, fidelem hominem fidei uirtut
studere pietati, innocentiam colere, & uere bona opera

sectan

sectari Neq; enim libertatẽ Christianam esse peccandi licentiam, sed peccatorum uerius abnegationem & sanctimoniæ cultum. Id quod & similitudine quadam usurpata in 7. cap. initio declarat. Nam sequentibus commonstrat legem non esse inutilem, sed sanctã & bonam. In octauo autem redit ad id, unde in 6. & per initia 7. erat digressus. Docet enim quatenus liberi simus, sed & ad uitæ hortatur sanctimoniam, quod & in illo cœperat: hic uero amplius exhortationi consolationẽ iungit commodissimam Neq; enim humana imbecillitas citra exiguam operam affectiones illas carni congenitas premit, uincit & conficit. Et hæc quidem altera pars est euangelij, qua peccatorum adeoq; carnis (ut aiunt) mortificatio siue sancta pœnitẽtia continetur, quæ quidem aliud nihil est quàm perpetua uitæ per fidem in integritate custodia. Habes itaq; hisce 8. capitibus potissimam euangelij summam, de qua in euangelio secundum Lucam sic legimus dixisse dominum: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiã ac remissionem peccatorũ in omnes Gentes, &c. Hæc autem prima huius epistolæ pars esto.

Secunda continet negotium reiectionis Iudaicæ & uocationis gentium. Nam absoluto negotio Euangelici mysterij, ut erat Iudæorum & Gentium debitor, utrisq; Reiectio Iudæorum & uocatio Gentium.

mederi cupiens Iudæorum primo arrogantiam depri
Hi enim de genere patribus & electione sua glori
tes, populum dei liberum se esse iactabant, & hos
nus etiam suscipiebant euangelij prædicationem. i
ergo obstaculum scripturis remouet, ijsdem & reie
nem eorũ compi obat, caussamq; huius subnectit, q
nimium suæ fidant iustitiæ, monens ut iustitiæ Chri
subdant per fidem: aliâs enim perituros, id quod e
prophetæ prædixerint. Et hæc quidẽ agit in capit
& 10. Porrò ne istud reiectionis negotiũ miseros
mis prorsus consternaret, ansam quoq; Gentibus, q
aliâs ferocientibus, Iudæos penitus contemnendi sup
ditaret, in 11. consolationem instituit ac mitigation
docens reliquias iuxta prophetarũ uaticinia saluan
Interim Gentes quoq; monet prioris uitæ memineri
unde emerserint, qualesue olim fuerint, idololatræ ini
rum & hostes dei, nũc uero fide amici dei & testam
participes facti sint, unde fide nunc quidem stent, se
ergo posse ut perfidia recidant, & Iudaica gens re
matur: modeste itaq; de se sentiant, neminem uero co
temnant. Siquidem iudicia dei ut noua & mirabilia, i
inscrutabilia esse. Et hanc quidem uoluimus alteram es
huius epistolæ partem, qua nimirum uides maxim
mysterium à maximo apostolo esse retectum: tamesi
enim aliud instituisse egisseue uideatur, explicauit tam
istud

istud arcanum quod Gentes quoq; ad promissiones testamenta & populum dei pertineant, atq; illi demum filij dei sint, non qui secundum carnem, sed qui secundū spiritum nati sunt. Id quod à maximis etiam in religione uiris adeo fuit absconditum, ut ni cœlesti oraculo commonitus fuisset apostolus Petrus, ægre Cæsaream iuisset ad Cornelium.

At tertia pars absoluitur quinq; postremis capitibus. Hæc uaria est de uarijs rebus ceu locis quibusdam communibus conscripta, lepide quidē & clare. Elegan- Paræneses.
ter enim disserit de Christianorum sacrificijs & oblationibus, De officio hominis Christiani, De magistratu & iure gladij, De ciborum & dierum delectu, De scandalo, Deq; alijs quibusdam rebus scitu opido quàm necessarijs, quæ quidē Argumenti breuitas satis aliâs uiolata recensere non admittit.

Porrò orationis genus, si illam spectes demonstra- Genus orationis.
tionem qua docet fidem esse iustitiam, non legem, non merita, si inquam institutum Pauli summarium generatim spectes, Demonstratiuū fuerit. At si expendas accusationem qua inter initia & Iudæos & Gentes peccati coarguit, uel illud pensites quod in 6. & 8. hortatur & consolatur, illud sanè Iudiciale fuerit, hoc Deliberatiuū. Sed ita fieri solet ut præcipuū aliquod dicendi genus reliqua in se contineat, imò sine reliquis absolui nequeat.

Dictio. Dictio autẽ uel ſtilus huius epiſtolæ conuenit re
Nam grauis eſt, nõ utiq; obſcurus, ſed decorus & m
ſtatis plenus, à qua perſpicuitatẽ nemo unquam ſepa
uit. Perſpicue ergo & ſolide ſcribit Apoſtolus, n
meminerimus ſacris aſſuetiſsimum pectus ſic Grec
quitum ut Hebræum interim, utpote ad Gamalich
des inſtitutum, diſsimulare non potuerit.

2 ARGVMENTVM PRIORI
S. PAVLI AD CORIN.
THIOS EPISTOLAE.

NEMINI obſcurum eſſe credo Epiſtolas P
non eo ordine ſcriptas eſſe, quo in exemplari
noſtris uulgatis certa ſerie locatas uidemus. Neq; n
ea quæ ad Romanos extat epiſtola primo ſcripta e
apoſtolo quod primum occupat locum. Galatarum e
& ante Romanorum & Corinthiorum exarata in
tum exiuit fidelium, quinimo præſens hæc Corinth
dicata ante Romanorum quoq; conſcripta eſt. Pro
de materiam & tractatum rerum non temporũ ſer
ſpectauit quiſquis apoſtoli epiſtolas in hunc uulgatu
redegit ordinem. In Romanis diſputatur de Peccato
Iuſtitia, de Fide, deq; ueræ religionis & ſeminis di
tura, ui & effectu. Merito itaq; primum occupauit lo
cum

eum Iam uero cum herbescenti semini dominico multæ accidant calamitates & enascentem ecclesiam multa impediant incommoda: atq; huius quidem rei epistola ad Corinthios egregium sit paradigma, in qua simul & illud traditur, quibus rationibus incommoda remoueri, & uitijs mederi queat, haud temere Romanus proxime appensa est, nempe ut hæc foueret, quod illa iam plantare cœperat.

Corinthij enim recta erant in fide (ut in 18. Acto. eap traditur) ab apostolo instituti, nimirũ ad eum modum eamq; rationem quam in Romanis postea scripto commendauit: ideo quod ipsa fidei potissima attinebat fundamenta nihil deerat Corinthijs, constantia tantum & concordia in percepta ueritate desyderabatur, quæ interim Pseudoapostoli maxime labefactabant, eleuantes apostoli Pauli authoritatem, suam contra asserentes. Hisce enim artibus scindebant ecclesiam, nõ ea iam quæ Christi, sed quæ priuatæ gloriæ erant quærentes. Videbat apostolus actum esse de Corinthiorum ecclesia, si impostores isti ita ut cœperant pergerent Principio itaq; ut suam authoritatem, & in hac ipsam ueritatem assereret, & dissidentes iterum componeret, duobus arietibus Pseudoapostolos aggreditur. Prior philosophiam humanam grandiloquentiam atque speculationes istas subtiliores, quibus isti se magno uenditabant,

Constantia in euangelica simplicitate.

& Paulum tanquam maximorum mysteriorum ig
rum aspernabantur, docet displicere deo, qui uera
cœlestem sapientiam exposita simpliciq; ratione ma
exponere uoluerit, certas etiam ob causas, quas inte
fusissime tractat. Posterior, ex officio ministrorũ ue
docet omnem gloriam profectus euangelij, trahenti
dei, non hominis seruientis, dei esse ecclesiam, huic
iecta esse omnia. Turpissimum igitur esse si quis
minister sit, domino se præferat, ecclesiam scindat,
in hac sibi quicquam arrogantius usurpet, quod inte
faciebant Pseudoapostoli. Hæc autem in genere, n
speciatim Pseudoapostolus se comparat, ut ex collat
colliquescat utri fideliores sint doctores, imò pub
exẽplo istos negligentiæ & infidelitatis conuincit, q
incestu commaculatum non puniuerint, quem ipse in
excludere. Atq; hæc quidem primis quinq; agit cap
bus aduersus Pseudoapostolos, ut authoritatem nom
sui uendicaret, leoninum istis detraheret, seductis ue
ac cæcutientibus oculos aperiret, atq; ita ab impost
errore in concordiam & ueritatis reduceret uiam.

Auaritia & luxus Corinthiorũ.

Erant præterea quædam post fundamenta fidei p
sita in eo corrigenda populo, in quo adhuc nonnul
(ut fit) superioris uitæ manebant reliquiæ. Corinth
enim ut emporium Græciæ celeberrimum & opulen
tissimum, sic moribus erat longe corruptissimis. Hinc
nuli

multi ex Christianis uel per auaritiã, quæ pecuniæ stu-
dium est, aduersus fratres in foro contendebant iudicia-
rio, uel scortatione fœdati nõ desinebant esse Corinthij.
Proinde aduersus utrosq; inuehitur grauissime. Rursus
cum essent qui pietatis prætextu ab uxoribus diuerte-
rent, & periculum esset ne istud scortationis gratia fa-
cerent, idq; Paulo à quibusdam significatũ esset, copio-
sissime super hac re disputat per integrum caput 7. ubi
& de impari connubio, de Cœlibatu & Virginitate
elegantissime disserit.

Iam erat & aliud apud Corinthios uitium quod in-
terim pseudoapostoli fouebant maxime. Sacrificabatur
Corinthi pro more Gentilitio idolis, hic Christiani uo-
cabantur ad sacra, in his uero idolothyta, id est idolis
sacrificatæ carnes proponebantur uescendæ. Hic erudi-
tiores (ut sibi uidebantur) Christiana freti libertate ido-
lothyto uescebantur, infirmi contra offendebantur, sub-
inde augustius quidpiam de idolis & sacris sentientes
prophanis quàm par erat. Proinde Apostolus grauissi-
me in istos sciolos inuehitur, docens omnino ab idolo-
thytis esse abstinendum. Principio autem ad istorum
respondet argumenta. Deinde sua confirmat cum ue-
terum exemplo, tum mystico Christianorum sacro. Idq;
agit in 8. 9. & 10. cap.

Peregrinis sacris participare.

Et quemadmodum in istis tradidit Peregrina sacra

De iustis Christianorum sacris.

esse fugienda, ita in 11 cap. subiungit, quid in se
Christianorum, hoc est, in conuentu Christianorũ p
lico sit obseruandum. Siquidem irrepserant & in h
uitia quædam fœdissima: illud in primis quod indec
se gererent in cœtu Christiano ad luxum & ad scœ
lum usq; ornati, & quod epulis splendidis & prop
nis mysticam conspurcarent cœnam. Vtroq; autem
detur uitio, docẽs quid illos in publico cœtu decet,
quis sit Cœnæ domini uerus usus, quod institutum.

Concordia. In 12. iterum quædam remouet quæ diŭidiũ in C
rinthiorum ecclesia excitabant. Erant enim qui, q
ipsi dona aut ministeria in ecclesia non accepissent, a
inuiderent, & omnes in ecclesia æquales esse contem
rent. Erant alij qui donis & ministerio elati, alios sp
dirent, itaq; abuterentur ad fastum & æmulationẽ d
rismatibus. Hos omnes allegoria corporis & har
nia membrorum in medium proposita, hortatur ad c
cordiam & charitatem, cuius laudes, uim & efficacia
toto capite 13. exponit.

Prophetia & linguæ. His absolutis iterum redit ad Cœtum ecclesiasticu
corrigendũ. Siquidem doctuli quidam linguis atq; or
tione abutebantur ad perniciem prophetiæ. Restitu
ergo prophetiam in 14. cap. & de uero Linguarum
usu pie iuxta atq; docte disserit.

Resurrectio. Iam cum seductores quidam Corporum resurrectio
nem

rem ponerent in dubiũ, imò prorsus abnegarent, Paulus istam fortissimis argumentis astruit, simul & illud declarans qualis & quibus modis sit ea futura. Ad finem autem familiaria quædam subijcit, inter quæ præcipua sunt, quæ de subsidio in pauperes conferendo, de suo ad Corinthios reditu, & Timothei commendatione scribuntur.

Recte ergo alij monuerunt uariam esse hanc epistolam, nec ad certum colligi posse scopum. At dictio ab alijs Pauli epistolis ita dissidet, ut prorsus alterius esse credas. Facilis est, diluta & tamen euidens, non aliud quàm Pauli illud diuinum spirans pectus. Dictio.

ARGVMENTVM POSTERIORIS S. PAVLI AD CORINTHIOS EPISTOLAE. 3

POSTERIOR hæc Pauli ad Corinthios epistola ferme tota est apologetica, scripta in genere iudiciali, acris, argumentosa & uegeta, stilo admodum forensi, sed causſæ accommodo. Respondet enim pseudoapostolorum cum obiectionibus tum calumnijs, quæ non nisi ex ipsa Pauli responsione colliguntur, id quod non modicam obscuritatem orationi alias perspicuæ inducit. Impingebant illi Paulo seditionis cruentum

crimen, opprobrabant crucem quod subinde eiectus urbibus incertis cogeretur uagare sedibus. Præterea inconstantiam & mendacium obijciebant, sed & tyrannidis & ambitionis accusabant, quasi is ambiat dominium qui tanta authoritate præceperat scortatorē tradi satanæ. Iam & ministeriū euangelij eius cupiebant reddere suspectum, infidelitatis & impuritatis ipsum insimulantes. Hisce ergo omnibus primis respondet capitibus, ipsam epistolam à laude afflictionum auspicans, exponenensq́; quid in Asia usuuenerit, & quàm dexter affulserit deus. Addit se nihil mentitum, tametsi non uenerit ut in superiori epistola se uenturum dixerat. Præterea ostendit qua ratione præceperit mœchum tradi satanæ, ut iniuriam faciant qui tyrannidem impingunt. Atq; hic probat se rite suo functum officio, pure ueritatem ipsis tradidisse, & adhuc tradere, ubi etiam multis agit aduersus Nazaræos, qui legalia conabantur inducere. Demonstrat ergo quanta sit euangelij excellentia, quantáue legalium imbecillitas. Item quanta puritate & diligentia prædicarit euangelium, quanto cum successu, qui sanè non humanis sed diuinis debeatur uiribus quæ non desint suo negotio: adeoq́; multa hic disserit de spe & constantia item solatio in afflictionibus. Deinde suo exemplo hortatur ad spem & ad opera bona, in primis ne se misceant impuris. Quæ pars genus

agnoscit

gnoscit suasorium. His absolutis redit ad ea quæ de incesto cœperat, eaq; in 7. cap. absoluit.

In 8. & 9. cap. miris argumentis hortatur ad beneficentiam, egregiam de hac disputationem contexens, quæ & ipsa sub genus deliberatiuum refertur. Postremo palam suam authoritatem propter ministeriũ suum tuetur, laudes suas ipse de sese prædicans, adeo ut multis in hac re nimius esse uisus sit. Verum ipsa res istud postulabat, ne periclitaretur hac parte ipsa etiam ueritas. Cõparet ergo se pseudoapostolis, eaq; collatione et suã innocentiam & aduersariorum fucum retegit, sed authoritate sua confirmata sub finem minatur se uenturũ eam authoritate. Quanquam protinus acerbitatẽ eam mitigans, ipsos ualere optet.

ARGVMENTVM EPISTOLAE S. PAVLI AD GALATAS. 4

CONSTAT ex ipsis caussis omnes res certius educi & planius cognosci posse, quocirca de occasione huius epistolæ dicendum erit ut melius intelligatur scriptoris sacri institutũ. Oberrabat per ecclesias sancte ab apostolis institutas male feriatum genus hominum: ueteres Nazaræos uocarunt. Hi ex factione descendebant Pharisaica, professione enim erant Iudæi, Occasio huius epistolæ.

nomine uero Christiani. Nondum enim tenentes gra-
tiæ Christi beneficium, legem miscebant euangelio, cu-
tendentes neminem saluari posse per Christum nisi e-
circumcisus esset & legem Mosi seruaret. Id nos copio-
sius prosequuti sumus in 15. cap. Actorum & in epi-
stolam ad Romanos scribentes. Paulus uero non ita a-
dicerat Christum, neq; ad istorum modum uel Galatæ
uel aliarum gentium ecclesias instituerat. Prædicabat
enim lege peccata nostra proferri non auferri, solam au-
tem fidei gratiam per Christum iustificare omnes gen-
tes. Inde uero Nazaræi suspectũ habere cœperunt Apo-
stolum Paulum tanquam male fidei ministrum, qui neq;
modum aliorum apostolorum in prædicanda ueritate
euangelica seruaret, neq; sibijpsi per omnia constaret.
Fingebant enim & apostolos domini eius dogmatis esse
authores, quod nihil prosit Gentibus euangelium nisi
opera quoq; legis implerent. Et sanè patrocinabatur in
speciem hisce uerbis apostolica imbecillitas. Quod sci-
licet sibi per initia à congressu temperabant Gentium.
Nam Petrus cum esset Antiochiæ sese subduxit ad Iu-
dæorum & Iacobi aduentum à Gentibus. Addebant
ipsum quoq; Paulum prædicationis suæ insolitæ male
conscium nunc legis uti ceremonijs, ut qui Timotheum
suum circumcidisset, nũc damnare legem, asserere modo
gratiam. Potius ergo audiendos esse qui apud Petrũ &

Iaco

Iacobū uersati fuisſ nt, quiq; ipſum uidiſſent dominū Ieſum. Paulū enim illum & dominū non uidiſſe & diſcipulorum modo diſcipulū eſſe. Hiſce uero in ſpeciē ueris accuſationibus turbarūt eccleſias multas recte per Paulum in fide inſtitutas, Galatarum uero propemodū ſubuerterant. Fauit impoſtorū cœptis diuturna Pauli captiuitas. Oberrabant iſti impune, & ſpecie boni multorū mentes ſubuertebāt, hic uero quod ſemel fœliciter plantarat diligentius rigare nō poterat, donec officioſa charitas & cura ſedula conſilium quo obſtaret uaſtatoribus uineæ domini inueniret. Parat enim epiſtolam ad Galatas, qua æmulorum confringat ferociam, gratiam dei per Chriſtum uindicet, & Galatas ſibijpſis reſtituat depulſis ab ouili Chriſti lupis iſtis graſſatoribus.

Tria ergo hac potiſſimum epiſtola agit. Principio euincit ſe uerum & à Deo miſſum eſſe apoſtolum, quod euangelium ſuum non didicerit ab ullis hominibus, imò ne ab ipſis q idē apoſtolis, qui ut nihil ipſi contulerint, ita ſocias dextras dederint, & quod Petrus ipſe Antiochiæ metu ſuperuenientium Iudæorum ſeſe è Gentium conuictu ſubducens grauiter à ſe increpitus ſit, tantum abeſſe ut ipſi uel à Petro uel alijs apoſtolis tantillum acceſſerit quod ad perfectionem prædicationis euangelicæ uideatur pertinere. Deinde ipſam rem aggrediens, ipſamq; euangelij uim & ſummam explicans, Argumentum.

multis ijſdemq; firmißimis argumentis & demonſtra-
tionibus oſtendit iuſtificari hominem non legis aut ope-
rum, ſed gratiæ dei per fidem in Ieſum Chriſtum be-
ficio. Hoc eſt, quod ſola euãgelij gratia ad ſalutem co-
ſequendam uel ſine legis adminiculo, ſatis ſit. Hic autẽ
uarij occurrũt loci de fide, de lege, de libertate Chriſti-
ana, de peccato, & peccatorum remißione. Poſtre-
adhortatur Galatas ut in doctrina fidei ſana et liber-
per Chriſtum parta perſeuerent, ab impoſtoribus q-
eſt operarijs malis Nazaræis uidelicet ſibi caueant: a-
terim uitam uiuant ſanctam quæ deceat ſpiritu & fi-
renouatos. Hic enim diligenter & copioſe diſſerit
officijs pietatis & fructibus fidei bonis. Quælibet au-
harum cauſſarum binis fermè abſoluitur capitibus.

Præſtantia huius epiſtolæ.

Maximæ autem authoritatis & exiſtimationis fu-
hæc Pauli epiſtola ſemper apud ueteres imò apud omn-
eccleſias. Et certè nemo facile expoſuerit quanta ſ-
eius & nobilitas & utilitas. Simpliciter exponuntur
ea maxima religionis myſteria, ſed non citra artem e-
miam. Breuis eſt, ſed in hac ipſa breuitate ſi excuſ-
eam paulò diligentius admirandam reperias copiam.
Neruos in hac ut in nulla alia extendit. Sed & acri
eſt omnibus alijs concitatior. Primam cauſſam expeti-
per artificioſißimã & tamen naturalem expoſitionem.
Nihil enim in hac affectatum, nihil uiolentũ, omnia le-
ducũ

ductu fluunt et lectorem ueluti aquis leni murmure præterlabentibus inuolutum abducunt quo decurrit oratio. Secundam uero contrauersiam docta euidenti & firma argumentatione institutam absoluit. Atq; hac tam aduersarios suos quàm Galatarum animos in suam sententiam illicit, rapit, constringit. Postremum autem negotium uersatur & in deliberatiuo et præceptiuo genere.

Apparet autẽ hanc epistolam scriptam esse ex urbe Roma. Alij existimant ex Epheso missam, priusquam inde per tumultum à Demetrio excitatum esset expulsus. Verisimilior uidetur eorum sententia qui é uinculis hanc scriptam credunt. Quemadmodum enim in calce epistolæ ad Ephesios suæ meminit catenæ, sic in fine huius epistolæ ad Galatas meminit afflictionis suæ, dicẽs se stigmata domini Iesu portare in corpore suo. At certo constat epistolam Ephesijs scriptam ex uinculis á Roma esse missam. Vtcunq; uero hæc res habeat, hoc interim certum epistolam sero tandem esse scriptam & post alias ferme omnes. Vnde & plurimum habet grauitatis authoritatis & prudentiæ senilis. Huc accedit quod ipse Paulus hanc sua ipsius manu propria conscripsit. Alias ferme omnes excipientibus librarijs scribísue dictauit. Demum & manu sua ad calcem consignauit, qui ueterum mos creberrimus fuit. Proinde si cui cordi est Pauli apostoli reliquias, craneum, ossa uel uestes ue-

nerari, exoſculetur hanc epiſtolam multo & melior
& certiores D. Pauli reliquias. Veſte præſtabilius
corpus, corpore nobilior animus. Animi uero reliq
literæ ſunt. Præſtant ergo hæ ſanctorum reliquiæ, q
animi et fidei ſunt reliquiæ. Has amplectere relictis e
dis iſtis & ſuccu carentibus oſſibus.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ S. PAVLI AD EPHESIOS.

NON neceſſe eſt arbitror multis exponere q
fecerint Epheſij, quæ Epheſiorum ſuperſtit
quanto cum fructu quantáue cum authoritate, uirtu
fide & ſedulitate Euangelium Chriſti his prædica
apoſtolus Paulus. Ea enim expoſuit fuſiſſime Lucas
Actis cap. 19. & 20. Certé huius eccleſiæ maxima
habuit rationem, & in hanc præ cæteris affectu max
mo præditus fuit. Biennio enim in ipſa ſedit, diſcede
Timotheum clariſſimum ſibi diſcipulum ibi reliquit, in
terim ipſe hortari, monere urgereq; noctes atq; dies n
ceſſauit, adeò ut ipſe trienniũ numerarit laboris in ipſo
impenſi, cum ab Epheſo Miletum euocatis presbyteris
profecturus ipſe Hieroſolymã quid facerẽt præſcripſit.
Præterea coniectus in uincula Epheſios ſubinde deſide
rabat, pro Epheſijs uarijs curis et paternis diſtringebat
tur

tur ſolicitudinibus. Metuebat quod plerunq; fieri ſolet ne uinculis Doctoris ſui attoniti deficerent à doctrina aut certè concuterentur uehementius, proinde hanc iam conſcribit epiſtolam ab urbe è uinculis ſcilicet per Tychicum, ut ipſe teſtatur in fine epiſtolæ.

Scopum ergo habet certiſſimum hæc epiſtola Exponens enim breui compendio ſummam euangelij, hortatur ut in hac certa euangelij doctrina perſtent, deinde ſtudeant innocentiæ. Hoc enim eſſe conſilium ſuum in hac epiſtola ipſe teſtatur in cap. 3.

Nos, ut Lectori omnia ſint perſpicua & teneri poſſint facili memoria, partiemur hanc epiſtolam in partes duas. Prima abſoluitur tribus primis capitibus. Secunda tribus conſequentibus. In prima parte exponit breuiſſimo compendio abſolutam euangelij ſummam, nempe quomodo deus in Chriſto toti orbi omnem dederit plenitudinem, hoc eſt remiſſionem peccatorum, ſanctificationem, innocentiam, ſpem uitæ æternæ & omniũ bonorum ampliſſimum inexhauſtumq; aceruum: item quomodo omnes homines natura ſint filij iræ, & iuſtificentur gratis per gratiam & fidem Ieſu Chriſti, non per uires humanas aut opera noſtra. Addit præterea Gentes in hoc iuſtificandorũ conſortio contineri. Chriſtum enim unam ex Iudæis & Gentibus feciſſe eccleſiã, uerbũq; euangelij & Gentibus deſtinaſſe. Atq; his ita

affigit exhortationem ut in instituto sancto & intellecta euangelij doctrina pergant. In secunda parte instituit mores & de sanctimonia uitæ disputat, & hortando tradit qua debeant concordia, constantia & ueritate, quibus incremento illustres esse fideles. Differit item contra uaria & grauissima scelera, contra immunditiam, mendacia, fraudes, iram, inuidiam, spurcitiã, libidinem, luxum, & crapulam. Præterea optima instituit officia Christiana, erudiens quid deceat coniugatos, parentes & liberos, dominos ac seruos. Postremo uero armat Christianum militem panoplia spirituali, se quoq; et reos suas precibus ipsorum ad deum commendans.

De genere dicendi quo in hac usus est Paulus absolutissimus dicendi artifex Erasmus sic iudicauit, Idem in hac epistola Pauli feruor, eadem profunditas, idem omnino spiritus ac pectus, uerum non alibi sermo hyperbatis, anapodotis, alijsq; incõmoditatibus molestior, siue id interpretis fiat quo fiat usus in hac, siue sensuum sublimitatem sermonis facultas non est assequuta. Certè stilus tantum dissonat à cæteris Pauli epistolis, ut alterius uideri possit, nisi pectus atq; indoles Paulinæ mentis hanc prorsus illi uindicaret. Hactenus Erasmus.

ARG

ARGVMENTVM EPISTOLAE D. PAVLI AD PHILIPP. 6

EAdem cauſſa & occaſio hanc ad Philippenſes epiſtolam extorſit Paulo quæ Epheſijs ſcriptam extorſerat. Tenebatur in uinculis Apoſtolus, oberrabat pſeudapoſtolorum uulgus, eleuabant Pauli doctrinam, ſed & uincula eius in ſiniſtram abripiebant occaſionem. Et hactenus quidem nil profecerant apud Philippenſes, in fide uera & doctrina apoſtolica conſtantiſsimos. At quid interim Paulus cogitare potuit quàm Philippēſes eſſe homines, qui grauibus illis uinculis ſuis offendi, & pſeudapoſtolorum artibus ſubuerti poſſint, cupiens ergo amans ſuæ familiæ bonus pater tempeſtiuo aliquo remedio periclitantibus ſubuenire, hanc adornat epiſtolam, in qua mirifice illos in fide recepta confirmat, & omnia ea expungit quæ poterant uel abſtrahere à uero uel currentes in uia domini impedire, quo minus procederent. Principio ergo collaudatos ob fidei donum & ſanctam conſtantiam erudit, ne cruce et uinculis ſuis offendantur, utpote ex quibus plus commodi quàm diſpendij ſit enatum hactenus. Se quidem illis nequaquam examinari aut angi difficilius planè teſtatur, ut qui paratus ſit mori pro Chriſto. Deinde hortatur ut in perceptæ ueritate perſtent, & ut ſuam uocatio-

nem deceat ambulent, id autem futurũ putat si sint cor cordes, ad quod deinceps ardentissimis inflammat argumentis, ubi & de mysterio Christi disserit, & quædam de Timotheo & Epaphrodito adijcit. Tertio loco monet à Pseudapostolis sibi caueant, legem & operum merita Christo miscentibus. Ibi uero demonstrat omnem iustitiam & omne quod mundo uidetur eximium Christo collatũ non damnũ modo sed excremẽtis esse simile. Cauendos ergo censet pseudapostolos. Quartum caput refertum est salutationibus & salutaribus quibusdã tum dogmatis tum exemplis.

Scripta est hæc epistola ex uinculis ab urbe Roma, perlata per Epaphroditum. Varia est, sed docta, grauis & utilis. De Philippensibus lege Epitome Vadiani nostri, præcipue uero Lucam in Actis apostolorum capite decimosexto.

ARGVM. EPIST. PAVLI AD COLOSSENSES.

EPISTOLA Pauli ad Colossenses Epitome eius est quam ad Ephesios scripsit, nisi quod in illa uostra acrius & feruentius disputat aduersus pseudapostolos ad Mosen et legalia reuocantes Christianos. Horum enim artes metuens, ne uidelicet his imponerent

Coloſſ. hac epiſtola paucis totam euangelij ſummã com prehẽdit hoc ordine de abſoluta iuſtificatione diſputans. Principio ipſum deſcribit Chriſtum dominum, & demonſtrat q̃ in hoc omnes ſint theſauri cœleſtes, quodq̃; in hoc uno abſoluamur per meritum paſſionis eius in fide. Ideoq̃; in memoriam reuocat illis quales aliquãdo fuerint Coloſſ. & exponit quales nunc per Chriſtum facti ſint, quid ipſos deceat, quodq̃; in fide ſemel percepta perſeuerandum ſit. Deinde poſitis hiſce fidei fundamentis grauiter ipſos adhortatur ne ab hac doctrina abſoluta relabantur uel ad argutias philoſophicas uel ad fabulas Iudaicas. In Chriſto enim eſſe omnia quæ ad perfectam pertineant abſolutionem, in Chriſto eſſe ueram ſapientiam & ueram legis completionem. Iudaizantibus enim haud impares erant quidam ad Chriſtianiſmũ à paganiſmo conuerſi, qui præſidio eloquentiæ ſuffulti multa arguta & philoſophica ſimplicitati fidei immiſcere tentabant, quos non inferiori minusq̃; ardenti ſpiritus feruore atq; Nazaræos perſequitur & cauendos ſuadet, ingeminans ſubinde in Chriſto nos eſſe completos, Chriſtum ſemel habere omnia. Atq; hæc quidẽ fuſiſſime traduntur per prima duo capita. Poſteriora duo ſalutaribus oppleta ſunt inſtitutionibus et formulis ſanctæ uitæ, niſi quod maxima pars cap. ultimi ſalutationibus occupatur.

Cæterum non prædicarat ipse Colossensibus eu-
gelium, opera Epaphræ uel Archippi in Christum cr-
diderant. Videtur sanè illius permotus precibus ho-
scripsisse ex carcere & per Tychicum misisse ab urb-
tum furtasis cum & Ephesijs & Philemoni scriben-
tur: & coniectura est Philippensium epistolam ab h-
non longo interuallo esse æditam.

Ipsa uero epistola multis nominibus commendatio-
ma nobis esse debet. Nam ut breui compendio totam
dei Christianæ summam comprehendit, ita instructis-
ma est, argumentis ualidissimis compacta, demonstr-
tionibus euidens, perspicuitate clara, & rerum sublim-
tate grauis. Et stilus rei grauitatem & sublimitat-
assequitur.

Iam uero ne illud nescias Colossæ Colossarum di-
tur, quemadmodum Athenæ Athenarum. De istis le-
Vadiani nostri Epitomen. Plinium item in lib 6. cap.
& lib. 31. cap. 2. Strabonem quoq; in Geog. lib. 10.

8 ARGVM. PRIORIS S. PAVL
AD THESSALONICEN-
SES EPISTOLAE.

THESSALONICAM, quæ Macedoniæ ci-
metropolis, ueniens Apostolus Christi religionem
initi-

inter Iudæorum insanientium insidias atq; turbas uerbi dei studiosis non multis tradidit diebus. Oborta enim turba commotoq; populo et magistratu Thessalonicensium, fratres Paulo consultum uolentes, hunc unà cum Sila nocte intempesta emiserunt. At hi Berrhœam profecti sunt, sed & hac eiectus Athenas proficiscitur Paulus, hucq; Silam atq; Timotheum uocat qui Berrhœæ interim hæserant. Interea satanas nullum non mouens lapidem quo herbescentẽ euangelij segetem apud Thessalonicenses proculcaret, grauissimam in membris suis persecutionẽ contra ueritatis cultores excitat. Hic uero Paulus misere metuens ne teneri in fide ad auitam deficerent superstitionẽ, semel atq; iterum statuit opem ferre periclitantibus: uerum cum adeo sæuiret persecutionis procella ut neq; tutum neq; utile esset insanis turbarum fluctibus sese ingerere, tandem Timotheum, quem non usq; adeo grauis aduersariorum premebat inuidia, mittit ut pro nomine Christi patientes confirmaret. Timotheus Thessalonicam itaq; profectus infracto animo, uerum confitentes reperit Thessalonicenses, redit ergo Athenas, & Paulo qui hic interim resederat, miram istorum prædicat constantiam. Hæc autem transcripsimus nos ex 17. Acto. capite, et ex huius epistolæ 3. cap.

Vbi uero Paulus audisset in ista acri pugna uicisse ueritatem ac sanctos in fide semel accepta perstitisse,

haſce ab Athenis ſcribit literas quibus laudat illorum fidem. Laudem uero hanc ita attemperat, ut ſimul ad hortetur Theſſalonicenſes, porrò conſtantes eſſe per gant. Atq; huc quoq; pertinet narratio cap. 2. de in greſſu ſuo ad Theſſalonicenſes, item expoſitio cap. de legatione Timothei. Atq; hæc quidem altera pars huius epiſtolæ. Poſterior circa inſtitutionem uerſatur Admonet enim ut caueant ſibi ab immunditia, & in puritate deum colant, ut caueant ſibi ab iniuria & cir cumſcriptione fratrum, ſeruiant autem his per charis tatem, ut mortuos non lugeant luctu immoderato & Chriſtianis indecoro. Vbi de fide reſurrectionis, de ex tremo die, de uigilia Chriſtianorũ, deq; rebus alijs opti ſacris & utilibus diſſerit.

Videtur autẽ hæc epiſtola ante alias omnes eſſe ſcri pta. Vtilitate certe & præſtantia alijs nihil cedit. In hac enim egregij & neceſſarij loci tractantur. Dictio autem Paulinum pectus omnino refert. Eſt enim facilis, accommoda rebus, & ubiq; maieſtatem referens apo ſtolicam.

9 ARGVMENTVM POSTERIO RIS S. PAVLI AD THESSA LONICENSES EPIST.

APPA

APPARET posteriorem hanc Pauli ad Thessalonicenses epistolã priori coronidis siue subsidij uice statim post hanc additam esse. Copiosius enim in illa tractat quædam quæ in hac delibarat parcius. Et initio quidem adhuc prædicat fidem Thessalonicensium. Quod in multa tentatione atq; afflictione constanter durauerint. Quamobrem pollicetur refrigerium & uitam sempiternam, aduersarijs uero incendium & interitum perpetuum, ut confirmaret eorum animos. Deinde quia in priori meminerat aduentus domini & resurrectionis mortuorum, intellexerant quidam iam nunc imminere illa, proinde ostendit in hac dominum non prius uenturũ quàm reueletur filius perditionis, hoc est antichristus, cuius aduentum ac regnum fœd & interitum graphice pingit, certè ut posterius sæculum commonitum sibi ab ea peste caueat. Postremo iterum atq; iterum inculcat in ordinem redigendos esse qui otio & curiositate turbabant ordinem publicum. Horum enim & in 4. cap. prioris epistolæ meminerat. Breuis quidẽ epistola est, sed mire utilis et docta. Stilo nil differt à superiori, neq; eruditione inferior est. Aiunt & hanc Athenis à Paulo scriptã & per eosdẽ missam. Theophylactus per Titum & Onesimum putat missam.

10 ARGVMENTVM PRIORIS PAVLI AD TIMOTHEVM EPISTOLAE.

Occasio. EX omnibus epistolis Paulinis liquet Timoth[illegible] hunc absolutißimæ cum pietatis tum erudi[illegible] fuisse exemplar: unde iam colligimus epistolam ha[illegible] tam in ipsius gratiam esse scriptam, qui uel non a[illegible] nitus sapiebat & omnia faciebat recte, quàm in [illegible] aliorum episcoporum utilitatem qui per successi[illegible] temporum fuerant ecclesijs præficiendi. Propon[illegible] in hac absolutißimum exemplar boni pastoris & [illegible] gentis episcopi, orationis filum secundum materi[illegible] præstantiam & episcopi officia atq; attributa duc[illegible]

Scopus.

1 Principio enim cũ potißima episcopi functio [illegible] cere, initio admonet, ut reiectis omnibus fabulis [illegible] stionibusq́; curiosis & humanis traditionibus ea [illegible] quæ sint charitatis & fidei ueræ. In his enim duob[illegible] pitibus contineri doctrinam sanam.

2 Deinde cũ ad episcopi quoq; curam pertinea[illegible] esse cœtui ecclesiastico, precibus sacris & ecclesi[illegible] ritibus, secundo loco disserit de eo quomodo depre[illegible] tiones & interpellationes, fieri debeant pro omni[illegible] hominibus, item quid hic deceat uiros, quid mulier[illegible]

3 Quia uero plurimũ momenti habet exemplum [illegible]

ſcopi ſanctum, & prophanũ ſiue impurum officit plu-
rimum, ideo epiſcopũ cum tota familia depingit, qualis
ſcilicet eſſe debeat, & quid eum deceat qui domui dei
præfectus eſt.

Veram doctrinam plerunq; ſequitur falſa ut umbra 4
corpus. Neſcit enim inimicus homo conquieſcere, ſem-
perq; malum ſemen agro dominico bono ſemine ſemi-
nato inſerere gliſcit: ſpecimen ergo huius exhibet Apo
ſtolus, partim ut ab erroribus caueremus, partim ut te-
nacius adhæreremus doctrinæ ſanæ. Atq; huc maxime
uocat Timotheũ, præſcribens quomodo ſe gerat quili-
bet epiſcopus in rerũ diſcrimine. Omnia uero maximo
ſpiritu proſequitur.

Hæc autem de doctrina ſana, de precibus ſacris, de
uita & moribus epiſcoporũ, de doctrina falſa, & quod
aſſidue laborandum ſit fideli agricolæ in uinea domini,
potiſſima ſunt huius epiſtolæ capita, quæ ſequuntur de
alijs rebus præcipiunt. Præſcribit enim quomodo ſe 5
gerat erga ſeniores, anus, iuuenes, & puellas, item erga
uiduas grandæuas & adoleſcentiores, id eſt ætatis ſu-
perſtites mulierculas, rurſus quomodo erga epiſcopos ſiue
presbyteros, quid præſcribat ſeruis ac dominis. Ibidem 6
& auaritiam accuſat & αὐτάρκειαν laudat, docens
quantis cum periculis coniunctum ſit ſtudium pecuniæ,
item quis ſit uſus opũ, & quæ ſint opulentiorũ officia.

Vbiq; uero immiſcet quod ipſis præ cæteris
eſſe commendatiſſimum, ut caucrent ſibi à que
bus & diſputationibus curioſis ſpinoſiſq;.

Stilus. Stilus congruit argumento. Inſtitutiones crim
& dilucido ſtilo exarandæ ſunt. Et facilia & ex
in hac ſunt omnia. Aiunt ſcriptam à Laodicea Ce
De qua re annotaui quædam in quarto capite ad G
ſenſes. Verum parum retulerit unde hanc ſcrip
ſiue è Macedonia, ſiue ex Aſia. In hac certè nõ du
ſiſſe legitur à tumultu Epheſino. Protinus enim
in Macedoniam, inde transgreſſus in Græciam, i
iterum in Macedoniam ueniens breuiſſimo tem
ſpacio nauigauit in Syriam, ex hac uero captiuu
niam ducitur.

II ARGVMENTVM POSTERIORIS S. PAVLI AD TIMOTHEVM EPISTOLAE

POSTERIOREM ad Timotheum epiſtol
ſcripſit apoſtolus ex urbe cum iam ad Cæſare
bunal ſiſteretur & ſeſe putaret interficiendum. Di
tis enim uerbis in 4. cap. Ipſe iam immolor, inquit,
tempus meæ reſolutionis inſtat. Extremum igitur u
ſuo dicturus Timotheo, & eccleſias ipſi commend

rus, hanc ſcribit.

In hac præcipue hortatur ut in ueritate perſtet euangelica, hancq; fideliter tradat eccleſijs, ſtultas uero & ineruditas quæſtiones reſpuat.

Deinde commonet grauiter ne ab hac reſiliat, uel propter quorundam inconſtantiam & recidiuum, uel propter perſequutiones et afflictiones uarias ingruẽtes.

Hinc uero graphice deſcribit quàm periculoſa futura ſint tempora poſtrema, & quod ſola ſcriptura Canonica habeat omnia quæ ad pietatem pertinere uidentur. Huius uero præſcriptionibus adhærendum & illas ſolas epiſcopo inculcandas eſſe eccleſijs omni conatu ſuadet.

Poſtremo & ad finem epiſtolæ ſubiungit peculiaria quædam.

Scripta eſt hæc epiſtola in Deliberatiuo potiſſimũ genere, nec diſpari multumq; diſcrepante à ſuperioris epiſtolæ ſtilo. Vtilis uero & propemodum neceſſaria eſt ſeculo noſtro in quo multorum inconſtantia, & tyrannorum minæ ac cruces plurimos abnegare uerum compellunt. Inuenient iſti in hac quod erudiat retineatq; in officio.

BREVIS est epistola, sed densa mysterijs et
litatis plurimum habens quæ Tito inscribi
Hic ad Christum è gentilismo conuersus in relig
recepta profecit adeò ut hunc inter præcipuos am
imò filij loco coleret Apostolus, præterea et nobilis
Argumentum. insulæ Cretæ præficeret. Hunc uero instituit præ
epistola præscribens quos deligat episcopos. Iubet e
ut oppidatim constituat presbyteros, et huiusmodi q
dem qui sint integræ uitæ et doctrinæ sanæ tenaces, p
possint contradicentes reuincere. Nam ut apud a
gentes, ita præcipue apud Cretenses esse pseudapost
quosdam quos oporteat acerrime profligari.

Deinde personarum & ætatum præscribit offic
docens etiam magistratui obediendū esse. Adhibet in
exhortationes egregias et efficaces. Postremo præc
bit quædam de quæstionibus reijciendis, deq; uitand
hæreticis & alijs quibusdam rebus necessarijs.

Hæc uideri poterat Epitome prioris epistolæ ad Ti
motheum esse. Eadem enim in hac tractantur quæ
illa, sed breuius & alijs uerbis hic omnia. Aliàs pen
est in utraq; discriminis.

S. Hieronymus hanc è Nicopoli, quæ sita est in

Cretico littore, autumat scriptam, ni nirū quod ipse Paulus in fine epistolæ dicat, Da operam ut uenias ad me Nicopolim. Nam illic decreui hybernare. Quādo uero scripta sit ante uel post captum Apostolum, non satis constat Theophylactus existimat ante uincula scriptā & priusquam posterior ad Timotheum uulgaretur. Certe non deerunt perquirenti diligentius coniecturæ quibus colligatur scriptam esse posteaquam Cæsaris sententia Romæ esset absolutus.

ARGVM. EPIST. S. PAVLI AD PHILEMONEM. 13

PHILEMONI erat seruus Onesimus, qui suppilatis domini facultatibus aufugit Romam. Illic audito Paulo & religionem Christi recepit & Paulo in carcere seruiuit, & ea quidem integritate ut hunc domino suo reconciliare cogitaret Apostolus. Scripta igitur hac epistola mire Philemonem urget ut seruulum recipiat fugitiuum.

Scripta est in genere deliberatiuo, & arte tanta, breuitate item tam erudita, ut mihi nihil in omnium oratorum exercitamentis & declamationibus uideatur extare hodie quod cū hac Pauli sit conferendū epistola.

Præterea exemplum in hac nobis proponitur cha-

ritatis insigne, cum uir tantus furacis hominis cal
tanto sibi ardore sumit agendam. Eruditur illa
lapsis nõ denegandam esse ueniam, si modo resipisc
Breuiter thesaurum cum eruditionis tum pietatis
epistolam dicet quisquis hoc breue Pauli scriptum p
pius expenderit.

14

ARGVMENTVM EPISTO LAE S. PAVLI AD HEBRAEOS.

Euangeliũ. TRIA sunt quæ hac tractantur epistola. Primu
enim monet ne reijciant Christũ Iudæi, neq; de
nentur euangelij negotium per incredulitatem: qu
doquidem angelis potentior sit, & Mose maior, angel
rum etiã dominus, & deus conditor: nihil interim e
uante eius maiestatem humana natura, quam sibi
Abrahæ traxerit prosapia. Considerent autem miser
maiorum suorum exemplum, quorum murmur, perfi
& incredulitas misere sit mulctata in deserto: unde a
sentaneum sit ipsos pessime nunc quoq; habituros,
ipsum uerbum dei uiuum, ipsumq; dei filium perem
rint cõtemnere. Et hæc agit per integra prima quatuo
capita. Nimirum aduersus eos sic perorans, qui Chri
stum aspernantes obijciebant, Nos Mosi discipuli sum

qui per angelos loquutus est deus, hunc uero Iesum unde sit aut quis sit nescimus, pergemus ergo in uijs patrum nostrorum. Quo simul & infirmos, primumq; Christo ex Iudaismo initiatos & rudes, à ueritate auertebant euangelica: quos interim Paulus istis suis & firmare & in uera religione officioq; retinere contendit.

Deinde uero uelut hypotyposi quadã ob oculos ponit, sacerdotium Aharonicum prorsus fuisse umbram, Christum autem uerum esse sacerdotẽ, ab ipso deo iureiurando creatum, neq; secundum ordinem Aharon, sed secundum ordinem Melchizedek ordinatum, Leuitis maiorem & meliorem: utpote cuius sacerdotium sit & ἀπαράβατον & sempiternum. Antiquatas igitur esse umbras, cum sacerdotij tum sacrificij. Quippe cum ueterum sacrificia, non minus quàm sacerdotium, fuerint inefficacia & typi Christi, qui sit uera hostia unica & sempiterna pro peccatis totius mundi. Hæc autem doctissime simul & copiosissime tractat per initium capitis quinti, (nam in fine, & per integrum cap. sextum digreditur) item per integrum caput 7. 8. 9. & decimi mediam partem. Planè aduersus eos qui niti tebantur cremonijs, sacerdotio, & sacrificijs: qui clamitabant Christiana religione omnem semel tolli diuinum cultum, omnem uetustatem & gentis gloriam. Hos igitur commonstrat, in Christo omnem esse pleni-

Sacerdotium.

Sacrificiũ.

tudinem & legis perfectionem, ut qui Christum pr
dem possideat, is dei gloriam, & sacerdotem & hos
absolutissime possideat.

Fides. Postremo adhibi is calcaribus urget eos ad fide
Christo sacerdoti unico & hostiæ perpetuæ. Esse e
fidem illam omnium ab exordio mundi iustorum
rum, ueram religionem, qua illi deo seruierint, et in
multa perstiterint patientia. Patientia ergo hic q
opus esse & constantia: ad quam deinde multis bo
tur exemplis, iudicijs, similibus. Nam mire torqu
tur qui à Mose desciuerant ad Christum.

Ad finem autem epistolæ, per integrum iudic
cap. 13. Appendicis loco, subdit breues quosdam,
Aphorismos, sententias & institutiones. Hoc uero
tius epistolæ argumentum est.

Phrasis. Dictio uero pura est, grauis, dilucida, euidēs & p
pria. Genus autem orationis mixtum est. Nam epis
medium, genus agnoscit didacticum. Docet enim Ap
stolus ueluti demonstratiua contentione, ueterū umbr
quoad sacerdotium & sacrificium, prorsus abolit
Christum uero esse uerum sacerdotem & æternam
stiam. At initium epistolæ & finis, sub genus referu
tur Deliberatiuum. Nam utraq; parte hortatur, illic
Christum reijciant, hic autem ut Christo fidant, & p
patientiam in ueritate persistant.

SEQVVS

SEQVVNTVR ARGVMENTA CANONICARVM EPISTOLARVM, ET PRIMVM EPISTOLAE BEATI IACOBI.

SCRIBIT S. Iacobus conuersis ad Christum dominum, ideoq; nihil agit in hac epistola de primis fidei rudimentis et dogmatis nostræ religionis, de pœnitentia, de abrogata lege, de fide sola iustificante, hoc est de salute per unicũ Christum parta totiq; mundo oblata, aut de peccato & libertate Christiana, idq; genus locis alijs, in quibus procul dubio satis erant instituti, sed corrigit quædam quæ in populo dei exoriebantur peccata. Erant enim qui iactarent se euangelio credidisse, interim uero mire impatientes cum propter nomen Christi aliquid erat ferendum. Erant qui impure loquebantur de sancta & iusta dei prouidentia, omnem peccati culpam reijcientes in deum. Idem iactabant fidem, sed operibus fructibusq; fidei carebant homines uani & irreligiosi. Ambiebant alij munus docendi nulla expectata uocatione, ij & lingua erant promptißimi & ad contendendum semper armati. Quidam uero ad rem attentiores fraudabant proximos, genioq; indulgebant intemperantius. Hos

alios q; his similes errores corrigit apostolica seueri
adhortans pios ad patientiam, mox etiam docens
& reuerenter loquendum esse de dei prouidentia,
certum sit homines non dei uitio sed sua culpa fie
los. Statim autem post illa hortatur, ut positis affe
carnalioribus uita religionem ueram exprimant,
uerbis, nõ iactabundis de fide uocibus. Fidem enim
per esse feracem bonorum operum, imò hanc non
esse sine bonis operibus. Ibidem docet non temere
biendam esse docendi functionem, docet item cor
dam esse linguam, à contentionibus, auaritia circu
bente, à pauperum oppressione atq; studio uolupta
omnino esse temperandum. Addit ad finem et alia
dam uitæ præcepta & sancta & salubria. Recte
D. Erasmus censuit Iacobum in hac epistola uersa
locis communibus. Nostro autem sæculo mire utili
Laborat enim ijsdem morbis quibus illud propter q
D. Iacobus hanc ædidit. Stilus facilis est & expos
ratio tractandi plana & pulchra.

ARGVMENTVM PRIORIS S. PETRI EPISTOLAE.

OBSCVRIOR paulò est prior Petri epis
la non modo propter sententias reconditio

ſed & propter ordinem perturbatiorem aſperioremq;, quem nos in præſentiarũ uel complanare, uel certe alijs occaſionem ſubminiſtrare iſtud dexterius abſoluendi, conabimur. Conſilium certum nemo (opinor) præfixiſſet, niſi ipſe Petrus adieciſſet ad finem epiſtolæ, Per Syluanum uobis fidelem fratrem, ut arbitror, paucis ſcripſi, adhortans ac teſtificãs hanc eſſe ueram gratiam dei in qua ſtatis. Hinc enim colligimus hanc eſſe epiſtolam hortatoriam ſimul & expoſitoriam. Ita enim fideles hortatur in ea fide quam acceperant, neglectis afflictionibus perſeuerent, ut interim ſummarium religionis & fidei fundamenta ubiq; ponat, deniq; & Chriſtiana perſtringat officia. Deſultoria enim eſt. Perſecutio à fide uel abſterrebat uel prorſus auocabat (ut fit) plurimos, potiſſimum ergo hortatur ad patientiam, qui huius epiſtolæ ueluti primarius ſcopus eſt: cui protinus attexitur alius non minus infrequens, ad confirmationẽ tamen ſuperioris pertinẽs, ueriſſimam eſſe prædicationem quæ de fide Chriſtiana ipſis ſit prædicata. Id etenim hoc attexitur conſilio, ne iſti ſe fruſtra in cauſſa nõ bona pati timerent. Veritati huic adiungit pietatis ſyncericatem integritatemq;, deflectens ad innocentiæ ſtudiũ, quo in loco nõ minore diligẽtia frequentiáue laborat quàm in ſuperioribus. Maximas enim partes & primi & ſecundi capitis huic impendit, adhortans ut uitã

Status.

Patientia.

Fides uera.

Innocẽtia.

uiuant ſanctam & ſua uocatione dignam. Hæc
omnia generatim proſequitur. Abſoluta uero fi
uitæ innocentia, quæ uera pietatis ſumma eſt, ſpeci
pertractat Chriſtiana quædam eáq; apprime neceſſ
Officia. officia, docẽs quid debeamus magiſtratui, legibus, q
deceat ſeruos, quid coniugatos: breuiter Chriſti exe
plo ad maximas quaſq; uirtutes potiſſimum uero ad
tientiam & innocentiam uitæ animat, ubiq; amoli
quod impedire, & admouens quod promouere ad b
poterat, idq; agit à fine ſecundi capitis, per tertium
Crux & afflictio. initia quarti. Nam ſub finem huius miro ardore mi
euidentia toleramiã ſuadens afflictiones attenuat. I
autẽ ad officiorũ inſtitutionẽ rediẽs, inſtituit epiſcop
hortaturq; ad humilitatẽ animi & accuratam uigili
In ſumma, Varia eſt epiſtola, & ueluti locis luxuri
communibus: in quibus tamen primas tenent, fidei
Chriſtum ueritas, uitæ innocentia (ſub qua recenſen
uaria officia) ſanctaq; tolerantia. Maxima ergo ex b
expectes licebit, quæ fidei Chriſtianæ uis et ueritas, q
uera religio, quæ ueræ fidei opera, quæ Chriſtianor
officia, quæ patientiæ dignitas: & cætera.

Dictio. Erudita uero eſt, & profecto digna (ut Eraſmus a
apoſtolorum principe, plena authoritatis ac maieſta
apoſtolicæ, uerbis quidẽ parca, ſententijs uero differta
Scriptam aiunt è Babylone per Syluanum.

ARG

ARGVMEN. POSTERIORIS S. PETRI EPISTOLAE.

AD eos secundam scribit epistolam ad quos scripserat primam. Sic enim ipse fatetur in cap. 3. Hanc iam alteram uobis charissimi scribo literas. Caeterum monitoria est epistola permultum habens adhortationis. Dum enim spiritu quodam diuino persentisceret diem fatalem sibi astare præ foribus, amore paterno et apostolica cura adactus, uoluit prius Asianos adeoq; & totam Christi ecclesiam munere aliquo egregio donare. Ostendit ergo ijs quod ea religio in qua tunc agebant uera & absoluta sit religio: deinde uero adhortatur ut in hac perstent, innocentiæ ueræ studeant. Addit protinus & quædam certa ueræ religionis testimonia, quibus suffulti firmius perstare queant. Hic iam pseudoprophetas quosdam uenturos prædicit, quorum nomine hoc ardentius ad constantiã adhortetur. Hos enim iam ueritatis blasphematuros habiturosq; dementiæ suæ complurimos sectatores. Illos uero graphice per integrum cap. 2. depingit, differens de artibus infandis, peccatis, uersutijs, demum & de interitu eorum. Quibus summa diligentia absolutis in 3. cap. de impijs postremi sæculi moribus scribit, de contemptoribus diuini iudicij, aduersus quorũ impudentiam effrenem in-

diciũ dei futurũ asserit, docens fideliũ esse, ut contem
impijs illis ipsi sese parent ad diem illã certissimã qu
sed nemini tamẽ cognitam. Porrò hæc omnia argume
tis agit pressis & densis, euidentibus atq; clarissim
Stilus enim grauis est, sed argumentũ facile pijs, et q
singulis propemodum uerbis maxima offerat myste

ARGVMENTVM PRIORIS S. IOAN. APOSTOLI EPISTOLAE.

Status. DELIBERATIVI generis est Epist
Nam hortatur credentes, ut puritate uitæ
charitate fraterna, Christum exprimant. Initio
totum Christi negotiũ paucis proponit. Deinde ne q
1 ex redemptione Christi peccandi sibi (id quod ple
tum quoq; solebant) arriperent licentiam, docet fi
in Christum congenitam sibi habere puritatem uitæ
cuius amorem & studium uehementissime inflamm
2 Cæterum erant qui currentes in uia domini remora
tur hæretici & homines maligni: hos ergo fugien
suadet, ut antichristos, & annunciatæ ueritati in
3 hærendum. Mox redit, & iterum ad puritatem
animat. A qua deinde ad charitatem transit, adhor
ut hac fratribus syncere seruiamus, & re ipsa, nõ

bis diligamus. Hic uero interserit quædam de probandis spiritibus: redit ad charitatem: & fidei ui fideliter excussa, pulchre claudit Epistolam. Fidei enim in superioribus quatuor capitibus, sæpe meminerat: unde pro more apostolico, diligentius ea retractanda erat. 4 5

Occasio. Hisce itaq; oppugnauit, et ueluti ex obliquo subruit cum Hebionica & Cerinthiana phalange, pseudochristianos etiam omnes: quorum illi Christum penitus abnegabant, hi uero uerbis, imò loquacitate futili Christū quidem confitebantur, uita autē referebant cacodæmonem Isti præterea Ioanni ansam scribendi præbuisse uidentur: quanquam pia senis cura & Christianæ plebis amor pijssimum Apostoli animum, proculdubio ad scribendum uel maxime impulerunt.

Vsus. Epistola est nostris temporibus accommodatissima, quippe quæ homines protulêre, quorum alij diuinitatem Christi in dubium ponunt, alij uero humanitatem ignorant, & alij rursus sint qui pietatem metiantur uel humanis commentis, uel ceremonijs, uel suauibus & expolitis de Christiana religione uerbis. Isti autem omnes hac epistola discunt, Christum Iesum uerum esse deum & hominem Discunt Christum Iesum unicam et æternam esse orbis salutem. Discunt ueram religionem consistere in fide, uitæ puritate & charitate: nō in loquentia, hostijs, aut humanis inuentis.

ARGVMEN. POSTERIORVM EPISTOLARVM BEATI IOAN. APOSTOLI.

2 GRATVLATVR *fideli ecclesiæ, quod ru-*
ceperit ueritatem. In hac uero ut perseueret
sese mutuo diligat, & à pseudoprophetis sibi caueat
hortatur.

3 GRATVLATVR *Caio quod in recep-*
ambulet ueritate, beneficentiamq; exerceat in
fratres. Perstringit Diotrephen & commendat Demo-
trium.

ARGVMENTVM EPISTOLAE BEATI IVDAE THADAEI.

IVDAS *quē Matthæus nominat Lebbæum cogno-*
mento Thadæum, dicitur fuisse frater Iacobi Alphæi
& Simonis Chananæi, uixit adhuc, si Eusebio Egesip-
pum citanti credimus, temporibus Domitiani, aliquot
annis post sublatos domini apostolos. Proinde quod in
corruptißima incidisset tempora, sed & spiritu præui-
deret quid porrò futurum esset, hanc scripsit epistolam,
in qua hortatur sanctos ut et ipsi in pura religione per-
seuerent,

perseuerent, et alijs quoq; adiumento sint quo possint perseuerare, & ut ueritatem euangelicam exprimant bonis operibus, caueant autem ab impostoribus, quos hic depingit graphice exitium ipsis interminans. Pleraq; uero mutuauit ex posteriori epistola Petri. Nec id quidem cuiquam nouum uideri debet. Videmus enim & prophetas posteriores priorum legisse orationes & libros, atq; adeo usurpasse & multa illorũ in sua retulisse scripta. Ergo quæ hic attinguntur parcius, paulò fusius tractamur in epistola Petri.

FINIS.